(3

JOSEPHI VALENTINI EYBEL

V. J. D.

ET JUR. ECCLESIAST. PROF.

PUBL. CÆS. REG.

INTRODUCTIO IN JUS ECCLESIASTICUM CATHOLICORUM.

TOMUS TERTIUS.

DE SACRO IMPERIO, ET SINGULIS GRADIBUS RECTORUM, ET MINISTRORUM ECCLESIÆ.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

VENETIIS,

SUMPTIBUS FRANCISCI EX NICOLAO PEZZANA.

MDCCLXXXI.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

E L E N C H U S
T O M I III.

LIBER PRIMUS.

DE REGIMINE SACRO ECCLESIÆ CATHOLICÆ, EJUSDEMQUE FORMA IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De divina inſtitutione ſacri in Eccleſia catholica Regiminis. Pag. 1

II.

De poteſtate, quam omnes Apoſtoli æqualem accepere. 3

III.

De inſtitutione divina tam Ordinis, quam Juriſdictionis Epiſcoporum. 6

IV.

De Primatu S. Petri, ejuſque ſucceſſorum divinitus inſtituto. 10

V.

De infallibilitate Eccleſiæ in rebus fidei, & moribus ad ſalutem æternam pertinentibus. 15

VI.

De œcumenicis Eccleſiæ Conciliis, eorumque authoritate. 23

VII.

De conſenſu Eccleſiarum. 39

VIII.

De Hierarchia Eccleſiæ catholicæ in genere. 41

* ii L I.

L I B E R II.

DE SINGULIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ HIERARCHIIS, EARUMQUE PRÆCIPUIS OBLIGATIONIBUS, ET JURIBUS IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

De iis; qui conſtituunt Hierarchiam Ordinis. Pag. 43

II.

De cauſa & modo ita, ut nunc eſt, ſtabilita Hierarchia Juriſdictionis. 51

III.

De præcipuis juribus & obligationibus, quæ eſſentialiter Primatui ſummi Pontificis inhærent. ibid.

IV.

De Juribus Primatus adventitiis. 53

V.

De authoritate Decretorum ſummi Pontificis. 60

VI.

De Patriarchis, Primatibus & Archiepiſcopis. 62

VII.

De præcipuis juribus & obligationibus Epiſcoporum. 66

VIII.

De iis, qui in Regimine Eccleſiæ ejuſdem Rectoribus vicariam & adjutricem præſtans operam. 83

IX.

De Parochis. 97

L I.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS
DE REGIMINE SACRO
ECCLESIÆ CATHOLICÆ
EJUSDEMQUE FORMA IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.
De divina inſtitutione ſacri in Eccleſia Catholica Regiminis.

§. 130.

SEparatis rite limitibus civilis imperii & Eccleſiæ, atque hujus natura cognita ad ejuſdem formam inveſtigandam jam progredi licebit.

§. 131. Illud, quod in Eccleſia Chriſti adeſt ſacrum Imperium, (*a*) neque penes fideles ſingulos, neque etiam penes omnes ſimul ſumtos, aut omnium quaſi jus ſuffragii habentium majorem partem, ſed ſolummodo penes quoſdam reſidet (*b*) atque reliqui parere juſſi ſunt (*c*). Patet itaque: Hanc Eccleſiam ſocietatem quam maxime eſſe inæqualem (*d*).

(*a*) Ibi videlicet *imperium* adeſſe nullus negabit, ubi poteſtas quædam datur *liberas entis intelligentis actiones ad certum finem determinandi pro arbitrio*. Conf. cl. de Martini Exercit. de leg. Nat. §. 141. Ejuſmodi autem poteſtatem in Eccleſia noſtra exiſtere, ſatis ſuperque tot notiſſima ſacræ ſcripturæ loca manifeſtant. Sufficerent Matth. C. XVIII. v. 18. & Joan. XX. v. 23. ubi *poteſtas* clavium iiſdem, quos Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Rectores conſtituit, pro *arbitrio* num alligare, num ſolvere, num remittere peccata, num retinere velint, conceſſa fuerint; porro Act. Apoſt. XX. v. 28. ubi iidem, tanquam Epiſcopi, ad *regendam* Eccleſiam Dei a Spiritu ſancto poſiti eſſe dicuntur. Non dicas exulare *arbitrium*, dum norma Evangelii Marc. XVI. v. 14. Apoſtolis præſcripta, dum illis tantummodo Evangelii ejuſdem prædicatio injuncta, dum denique omni Regimini & *inæqualitati* obſtare videntur verba illa: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur; vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut junior, & qui Præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*, Luc. XXII. v. 24. Enimvero imperium atque inſitum Imperio arbitrium non licentiam a præſtituto fine diſcedendi, ſed in ſeligendis præcipiendiſque mediis, quæ ad finem æque conferunt, libertatem moralem complectitur. Conf. cl. de Martini l. c. in not. Præterea modus in Imperii tenendus non utique ipſius Imperii exilium eſt, neque illos, qui *limitata & fundamentalibus* prædita legibus regna tenent, carere propterea imperio dicere poſſumus. Prædicatio Evangelii abſque dubio injungebatur Apoſtolis. Sed annon hoc ipſo ſacrum quoque regimen, quod in Evangelio ſtabilitur, prædicandum agnoſcendumque intendebatur? Verba ex C. XX. v. 28. apud Luc. objecta quod attinet, ea quidem monarchico cuidam & faſtuoſo regimini, non vero omni ſacro imperio reſiſtunt. *Qui major eſt in vobis*, verba ſonant; ergo *majoritatem* profecto non excludunt. Et ſicuti etiam Marc. X. v. 43. & ſeq. dicitur: *quicunque voluerit fieri* MAJOR, *erit veſter miniſter, & quicunque voluerit in vobis* PRIMUS *eſſe, erit omnium ſervus, nam & filius hominis non venit, ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret*, ita ex his omnibus conſequitur: dari in Eccleſia *Primos* & *Majores*, ſed hos ad exemplum Chriſti ſacrum ſuum imperium ad miniſtranda etiam minimis æternæ ſalutis media ſine omni externo faſtu habere exercendum. Neque oppone, *munus paſcendi* aut *claves*, quæ apud Judæos inſigne doctorum & interpretum legis fuerant, de ſtricto quodam regimine intelligi non poſſe. Etenim uſitatiſſima phraſi in ſcriptura verum regimen per *paſcere* exprimitur. Iſa. XLIV. v. 28. Jerem. XXIII. Ezech. XIII. 3. XXXIV. 2. Pſalm. II. 2. ubi in vulgata legimus *reges eos* & Græcus hebraicuſque textus habet *paſces eos*. Quo eodem modo illud Matth. II. v. 6. *regat populum meum* in græco per *paſcat* ſignificatur. Et cumprimis verbum græcum ποιμαίνω apud S. Joan. XXI.

juriſ-

juriſdictionem & poteſtatem regendi gubernandique denotar. Atque ita etiam claves pro ratione materiæ ſubſtratæ frequenter in ſcriptura pro ſymbolo poteſtatis ſtricte talis accipi, tam manifeſte docet integer allatus ſcripturæ locus, quam Job XII. 14. Iſai. XXII. 22. Apocal. III. 7. Conf. meus ord. Princ. P. I. §. 91. & P. II. §. 145. Sane præter cit. Matth. Joan. & act. Apoſt. teſtimonia de ſacro hoc Imperio etiam habetur apud Matth. C. XXVIII. v. 18. in verbis *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, de qua ipſa poteſtate & quod ſpiritualis, & quod in Apoſtolos tranſmiſſa ſit, magis explanatum legimus apud Joann. Cap. XVII. v. 1. 2. 3. & 18. ſic quoque de ſacro in Eccleſia Chriſti imperio nos edocent verba Act. Apoſt. Cap. XVI. v. 4. *cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis*, II. ad Cor. C. X. v. 8. *ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam*. I. ad Theſs. C. V. 12. *rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos &* PRÆSUNT *vobis in Domino, & monent vos*. II. ad Theſs. C. III. v. 4. *Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ* PRÆCIPIMUS, *& facitis & facietis*. I. ad Tim. C. V. v. 17. *qui bene* PRÆSUNT *presbyteri duplici honore digni habeantur*, ad Tit. C. II. *hæc loquere & exhortare & argue cum omni* IMPERIO. Atque, ut taceam complura loca alia, quis ſacrum Eccleſiæ Imperium non ſine ſacro quodam horrore colligit ex I. ad Cor. C. V. v. 3. & ſeq. ubi Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium tradidit ſatanæ in interitum carnis.

(*b*) Profecto neque fidelibus ſingulis, neque omnibus ſimul ſumtis, aut omnium omnino majori parti illud imperium, de quo ante loquebamur, eſſe commiſſum, ſed tam a Chriſto ex tot Ei adhærentibus tantum aliquos ad ſacrum regimen electos, quam ab Apoſtolis juxta voluntatem Chriſti ſemper tantum quoſdam ſpeciatim ad id ordinatos fuiſſe, denuo nobis palam faciunt ſacrarum literarum textus, veluti: *Hos duodecim miſit Jeſus &c.* Matth. X. *Et aſcendens in montem vocavit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum & fecit, ut eſſent duodecim cum Illo, ut mitteret eos prædicare*. Marc. III. v. 13. & ſeq. vide ibidem VI. v. 7. & XVI. v. 14. & ſeq. *Et cum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos &* ELEGIT DUODECIM EX IPSIS, *quos &* APOSTOLOS *nominavit*. Luc. VI. v. 13. vide ibidem IX. 1. & ſeq. *Poſthæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam &c.* ibidem X. v. 1. & ſeq. *Nonne ego vos duodecim elegi*. Joan. VI. v. 71. vide ibidem XX. v. 20. & ſeq. *Et orantes dixerunt, tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum accipere* LOCUM MINISTERII HUJUS ET APOSTOLATUS, de quo *prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum; & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*. Act. Ap. I. v. 24. & ſeq. vide ibidem VI. v. 2. & ſeq. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros* ibidem XIV. 22. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos — — numquid omnes Apoſtoli?* I. ad Cor. XII. v. 28. & ſeq. Vide ad Eph. IV. v. 11. *comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium, cujus factus ſum miniſter* &c. ad Eph. III. v. 6. & ſeq. vide ad Coloſs. I. v. 23. & ſeq. *ſicuti probati ſumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium*; ad Theſs. II. v. 4. *dicite Archippo: vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas*, ad Coloſs. IV. v. 17. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii*, I. ad Tim. C. IV. v. 14. vide II. ad Tim. I. 6. & ſeq. item C. 14. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*, ad Tit. I. 5. Paucis! *Apoſtolos* eorumque ſucceſſores *Epiſcopos*, non alios, *poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei*. Act. XXI. v. 28. Hi unice ex natura Regiminis hujus ſacri, ſibi ſolis commiſſi, & jus habent alios quoſdam ad Religionis miniſterium ordinandi, & hoc jure ſoli ſemper uſi fuerant, neque ullus proprio arbitrio, ſed a Deo vocatus & judicio Epiſcopi legitime conſtitutus ſeſe Eccleſiæ ingerere poteſt; juxta illud: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed, qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, ad Hebr. V. v. 4. ut adeo etiam illa II. Paralip. C. XXVI. v. 18. huc quadrent verba: *Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron*, QUI CONSECRATI SUNT AD HUJUSCEMODI MINISTERIUM. &c.

(*c*) Mat. X. v. 14. Marc. XVI. v. 10. ad Rom. C. X. v. 8. & ſeq. XV. v. 18, II. ad Cor. VII. v. 15. ad Gal. III. v. 1. & ſeq. V. v. 7. ad Philip. C. II. v. 12. & ſeq. II. ad Theſs. III. v. 14. ad Hebr. XIII. v. 7. &c. &c.

(*d*) Seu cum Darieſio, ſeu cum Wolſio in definienda ſocietate inæquali ſentias, Eccleſia noſtra ſemper ſocietas inæqualis erit, conf. cl. de Martini Poſit. de lege Nat. §. 675. 676. 680. Daries. inſtit. Juriſp. univ. 550. uſque 553. incluſive. Wolf. J. N. Tom. VII. §. 65. Nettelbladt Elem. Juriſpr. Nat. P. 2. L. 3. §. 773. meus Ordo Princip. P. I. §. 19.

§. 132.

Digitized by Google

§. 132. Priuſquam autem ſacro Eccleſiæ noſtræ principatui magis declarando accedamus, quatuor potiſſimum præſtruenda veniunt. I. Quemadmodum Apoſtolorum poteſtas fuerat æqualis, ita etiam Epiſcoporum in regenda Eccleſia parem eſſe poteſtatem. II. Sicuti hanc poteſtatem immediate ab ipſo Chriſto accepere Apoſtoli; ita quoque immediate ab ipſo Deo eam Epiſcopis obvenire. III. Veluti tamen Primatus inter Apoſtolos Beato Petro ceſſit, ita eundem Primatum in ſummos Pontifices ſeu Petri tranſire ſucceſſores. IV. Denique ſupremum & quidem, ſi de fide & moribus ad ſalutem æternam neceſſariis agitur, infallibile etiam judicium tantummodo in communi Eccleſiæ conſenſu, ſeu in concilio ſeu extra illud, ſeu expreſſe ſeu tacite maniſeſto eſſe conſtitutum.

CAPUT II.

De Poteſtate, quam omnes Apoſtoli æqualem accepere.

§. 132. Apoſtolorum poteſtatem æqualem fuiſſe I. Seriptura ſacra (*a*), II. Patrum ſanctorum teſtimonium (*b*), III. veteris Eccleſiæ diſciplina (*c*) comprobat. Et quandoquidem Epiſcopi Apoſtolorum in munere paſtorali ſunt ſucceſſores, etiam de Epiſcoporum poteſtate pari, præter effata Patrum (*d*), & antiquiſſimam praxim Eccleſiaſticam (*e*) recta ratio (*f*) dubitationem non admittit (*g*).

(*a*) Ad omnes videlicet Apoſtolos legimus æqualiter a Chriſto dictum eſſe, *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis: ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Mat. XXVIII. v. 18. & ſeq. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto:* Luc. C. XXIV. v. 49. *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* Joan. C. XX. v. 21. Omnibus ibidem *inſufflavit & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* v. 22. & ſeq. *Et cum complerentur dies Pentecoſtes, erant* OMNES *pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes: Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra* SINGULOS EORUM: *Et repleti ſunt* OMNES *Spiritu Sancto* &c. Act. Ap. C. I. v. 1. & ſeq. Hinc etiam Apoſtolus ad Gal. C. II. v. 8. ait: *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter gentes.*

(*b*) Ita enim ſcribit

CYPRIANUS.

Et quamvis Apoſtolis omnibus PAREM POTESTATEM *tribuit poſt reſurrectionem, hoc utique erant & ceteri Apoſtoli quod fuit Petrus* ET PARI CONSORTIO PRÆDITI HONORIS AC POTESTATIS; in lib. de unit. Eccleſ.

HIERONYMUS.

At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet hoc ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves Regni cœlorum accipiant & ex ÆQUO *ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur.* L. I. adv. Jovin.

AUGUSTINUS.

Dominus Jeſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam elegit, quos Apoſtolos nunciavit. Inter hos pene ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam; propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit: Tibi dabo claves Regni cœlorum, has enim claves NON HOMO UNUS, *ſed* UNITAS *accepit* ECCLESIÆ. *Nam ut noveritis* ECCLESIAM *accepiſſe* CLAVES REGNI CŒLORUM, *audite in alio loco quid dominus dicat* OMNIBUS APOSTOLIS SUIS: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, & *continuo*, SI DIMISERITIS PECCATA, DIMITTENTUR EIS, SI TENUERITIS, TENEBUNTUR, HOC AD CLAVES PERTINET, Sermone CXVII. de diverſis cap. 2. item: *non enim inter diſcipulos ſuos* SOLUS *meruit paſcere dominicas oves, ſed quando Chriſtus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petro primitus, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus*, ibidem cap. 4. item: *Huic enim Eccleſiæ claves Regni cœlorum datæ ſunt, quum Petro datæ ſunt, & cum ei dicitur,*

citur,

Digitized by Google

citur, *ad* OMNES *dicitur*: *paſce oves*, de agon. c. 30. ut alia plura hujus S. Patris teſtimonia intermittamus, hoc denique unum addimus. *Petrus quando claves accepit*, *Eccleſiam ſanctam* ſignificavit; tract. L. in Joan. & apud Grat. Cauſ. XXIV. Q. I. Can. 6. qui Gratianus & ibidem Can. 4. & in diſt. 1. de Pœnit. Can. 44. hanc eandem interpretationem retinet.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Quomodo ergo, nec immerito quæreret aliquis, quandoquidem vere aberat S. THOMAS, *S. Spiritus vere factus eſt particeps, cum diſcipulis ſalvator adparuit & inſufflavit dicens*: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM? *reſpondemus* VIRTUTEM IN OMNES *permanaſſe & ſcopum largientis impleſſe*. *Dedit autem* CHRISTUS NON ALIQUIBUS SEORSUM, SED UNIVERSIS DISCIPULIS. *Quapropter eam accipiunt, tametſi quidam non aderant, dantis liberalitate non ad præſentes ſolum contracta*, SED IN OMNEM SANCTORUM APOSTOLORUM CHORUM *permeante*; in Joan. v. 22. & 23.

AMBROSIUS.

Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum & hic ſapiens architectus, ſciens veſtigia credentium fundare populorum: nec Paulus inquam indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus & nulli ſecundus; nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem. *L. II.* de Spiritu Sancto.

(*c*) 1. Non ſolus Petrus, ſed omnes DUODECIM *convocantes multitudinem diſcipulorum dixerunt, non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis* — — non ante ſolius Petri; ſed *Apoſtolorum omnium conſpectum* electi ſeptem Diaconi ſtatuebantur. Act. Apoſtol. Cap. VI. verſ. 2. & ſequ.

2. Non ad ſolum Petrum, *ſed ad Apoſtolos & Presbyteros in Jeruſalem ſuper quæſtione* circumciſionis Paulus & Barnabas, & quidam alii aſcendebant, *conveneruntque Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*. Et quamvis primus ſurgens Petrus dixerit judicium ſuum, Jacobus tamen ſuo mox ſubſecutus eſt effato: *propter quod & ego judico*. Atque ultra id, quod Petrus dixit, quædam porro gentilibus ſcribenda protulit. Et tum placuit *Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia* non tantum juxta ſolius Petri, ſed & juxta Jacobi votum ſententiam concipere, eamque non ſolius Petri, ſed communi omnium nomine ita edicere: Placuit nobis collectis in unum. Tum magna illa, ab omnibus Apoſtolis & fratribus ſenioribus facta conquiſitio concluſa hoc oraculo *viſum eſt nobis & Spiritui Sancto*. Act. Apoſtolor. XV.

3. *Cum pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant* DECRETA *ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis*, non igitur decreta ſolius Petri. Ibidem c. XV. v. 4.

4. *Cum vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manuum*, non ſolius Petri, ſed & APOSTOLORUM *daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam dicens*, DATE *& mihi hanc poteſtatem* &c. utebatur quidem eum illico Petrus ſuo ſpiritualium pœnarum jure dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditione*, ſed & Paulus idem Jus exequebatur, I. ad Cor. V. v. 5. dum inceſtuoſum Corinthium tradidit ſatanæ.

5. Non ſolus Petrus, ſed & reliqui Apoſtoli *conſtituerunt per ſingulas Eccleſias Presbyteros*. Act. Apoſt. XIV. 22.

Omnes itaque imperii partes videlicet poteſtatem & leges ferendi & judicandi & exequendi, uti Petrus, ita reliqui Apoſtoli æqualiter exercebant. Conf. clar. de Riegger Inſt. Juriſpr. Eccleſ. P. I. §. 12. & ſeq.

(*d*) Audiamus enim

1. *Cyprianum*. *Epiſcopatus enim unus eſt, cujus a ſingulis pars in ſolidum tenetur*, apud Gratian. Can. 18. XXIV. q. I. porro: *etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus & oves univerſas, quas Chriſtus Sanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus*.

2. *Hieronymum*. *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive* ROMÆ, *ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis; ejuſdem eſt ſacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublimiorem* vel inferiorem Epiſcopum non facit, ceterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt: in Ep. ad Evagr. apud Gratian. Diſt. X. C. III. cap. 24.

3. *Auguſtinum*. *Communis eſt nobis omnibus, qui fungimur Epiſcopatus officio: quamvis ipſe in excelſiore faſtigio præemineas*, lib. adv. Epiſt. Pelag.

4. *Gregorium Magnum*. *Indicare quoque* VESTRA BEATITUDO *ſtuduit, jam ſe quibuſdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt & mihi loquitur dicens: ſicuti* JUSSISTIS, *quod verbum juſſionis peto a meo auditu removete; qui ſcio*, QUIS SUM, QUI ESTIS. *Loco enim mihi* FRATRES *eſtis, moribus* PATRES.

Digitized by Google

TRES. *Non ergo juſſi ſed quæ utilia ſunt, indicare curavi. Non tamen invenio* BEATITUDINEM VESTRAM, *hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intuli, perfecte retinere voluiſſe. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere; & ecce in præfatione Epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum*, UNIVERSALEM ME PAPAM *dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto, dulciſſima mihi* SANCTITAS VESTRA *ultra non faciat, quia* VOBIS SUBTRAHITUR, QUOD ALTERI PLUS QUAM RATIO EXIGIT, PRÆBETUR. *Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo* FRATRES MEOS HONOREM SUUM PERDERE *cognoſco. Meus namque eſt honor univerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt* FRATRUM MEORUM SOLIDUS VIGOR. *Tunc ego vere honoratus ſum, cum* SINGULIS QUIBUSQUE HONOR DEBITUS NON NEGATUR. *Si enim* UNIVERSALEM ME PAPAM VESTRA SANCTITAS *dicit*, NEGAT SE HOC ESSE, QUOD ME FATETUR UNIVERSUM. *Sed hoc abſit. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & charitatem vulnerant. Et quidem in ſancta Calchedonenſi Synodo, atque poſt a ſubſequentibus Patribus hoc deceſſoribus meis* OBLATUM VESTRA SANCTITAS *novit, & tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit*; ad Eulog. Alexandrinum Epiſt. 30. L. VIII. indict. 1.

5. *S. Ambroſium. Repetitum eſt ter a Domino: paſce oves meas; & quas oves, quem gregem tunc beatus ſuſcepit Petrus? ſed & nobiſcum eas ſuſcepit & cum eo illas nos ſuſcepimus omnes*; L. II. de dign. Sac. cap. 2.

(*e*) Prodidit nimirum ſeſe æqualis Epiſcoporum poteſtas eumprimis urgente Eccleſiæ neceſſitate, velut dum 1. *Athanaſius* ab exilio ſuo redux per Peluſium iter faciens Alexandriam. 2. *Euſebius* Samoſatenus, & quando Syriam, Phœniciam & Palæſtinam peragravit, & quando ab exilio reverſus eſt. 3. *Epiphanius* in Eccleſiis ad ſe non pertinentibus Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ordinavere. *Nam etſi*, ait Epiphanius ideo incuſatus: *ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur, tamen præponitur omnibus Charitas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt, nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore & quomodo, & in quibus, & quare factum ſit*, in Epiſt. ad Joan. Hieroſolymit. Conf. Socrat. Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 24. Theodoret. L. IV. c. 12. & V. cap. 4.

(*f*) Etenim ex natura ſucceſſionis in idem munus eadem poteſtas non intelligi non poteſt. Succedere autem Epiſcopos in Apoſtolorum munus 131. not. b. demonſtratum eſt. Et quid? num eadem Eccleſia, quam Chriſtus fundavit, ſecundum ejuſdem promiſſa uſque ad conſummationem ſæculorum duratura eſſet, ſi illa, qua eam regi voluit, non continuaretur poteſtas?

(*g*) Quæcunque contra æqualem Apoſtolorum atque Epiſcoporum poteſtatem ab Adverſariis adferuntur argumenta, triplicis ſunt generis. Quædam nil aliud evincunt, quam Petro ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus non tantum honoris, ſed etiam poteſtatis obtigiſſe primatum, quem minime negamus, & de quo nobis ita paulo infra ſermo erit, ut ſimus oſtenſuri, primatum in eadem pluribus tributa poteſtate tenere, & aliam atque eſſentia maiorem poteſtatem habere, tam diverſa quam recte ſibi invicem contraria eſſe. Quædam tantummodo id, quod oculis cernentes pariter non diſputamus, exhibent: nimirum in externa regendi politia *inæquales* eſſe Epiſcoporum partes. Sed hæc non cum illa prima atque eſſentiali poteſtate, qua ad ipſam Eccleſiam regendam & religionem integre conſervandam Epiſcopi omnes æqualiter pollent, confundi debet. Tertii denique generis objectiones ſunt doctæ fabulæ, de quibus B. Paulus II. ad Tim. IV. 4. & B. Petrus II. c. I. 16. habet. Scilicet veluti Bellarminus ait, Jacobum in illo conventu Act. Ap. C. XV. judicaſſe quidem, non autem de jure & neceſſitate judicaſſe; ita contra omnia Apoſtolorum facta, quaſi non jure & neceſſitate facta fabulari quis poteſt. Quid enim impedit? fortaſſe textus alii, queis ipſum jus probatur? ſed cur quæſo etiam Bellarminum textus a nobis ſupra allati, per quos Jacobi aliorumque Apoſtolorum æquale Jus demonſtratum eſt, non impedivere? Non firmiori talo ſtat opinio Card. Orſi, dum ideo a Jacobo judicatum aſſerit, ut is in eandem ſententiam protraheret illos, quos Petri auctoritas non moveret. Quinam enim quæſo moveri debebant? nonne Apoſtoli reliqui, ſeniores & fideles ferventiſſimi, qui concilio & diſquiſitioni intererant. Deum immortalem! his viris ferventiſſimis, conſciis doctrinæ & ſtatutorum Chriſti, ſi ex his ſtatutis majorem Petro poteſtatem & ſummum ac independens judicium competere ſciviſſent, Jacobi Judicium, ut moverentur, inſuper neceſſarium fuiſſe an vel ſomniare poſſumus? Quam optime quidem nominatus Cardinalis inter hos viros exſtitiſſe quoſdam ſupponit, quos Petri auctoritas non movebat; nam utique Paulus *in faciem reſtitit Cephæ, quia reprehenſibilis erat*, ad Gal. C. II. 11. ſed eo ipſo contra majorem Petri poteſtatem quid ſupponit, & aſſertum illud: *a Jacobo ad firmandam hanc majorem Petri poteſtatem judicatum fuiſſe*, in manifeſtam fabulam abit. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 15. uſque 19. Quæ ad ſtabiliendum Ro-

Digitized by Google

Romano Pontifice Regimen Monarchicum fruſtra cumulant adverſarii, mox infra exhibebimus ſub ſeparata demonſtratione: *Pontificem infra concilium eſſe*. Id unum hic additum ſit pro coronide: ſicuti ad ſæculum uſque nonum etiam Romanus Pontifex *fratris* Titulo ab Epiſcopis viciſſim fuit compellatus, ita & Epiſcopos paſſim ab antiquitate *Pontifices*, *ſummos ſacerdotes*, *Papas*, *Patres Vicarios Chriſti*, *Beatitudo*, *Sanctitas* &c. cognominatos eſſe Conf. Mamach. Orig. Eccleſ. Tom. IV. pag. 304. ſequ. & reſpice ad allatam ſupra Epiſtolam Gregorii M. cui diſſimilem profecto ſcripſit Gregorius IV. ad Epiſcopos Regni Francorum, ubi hæc verba: *Romano Pontifici ſcribentes contrariis eum in præfatione nominibus adpellaſtis* FRATREM *videlicet* & PAPAM, *dum congruentius eſſet*, *ſolam ei* PATERNAM *reverentiam exhibere*. Biblioth. Patrum Max. Tom. XIV. pag. 315.

C A P U T III.

De Inſtitutione divina tam Ordinis quam Juriſdictionis Epiſcoporum.

§. 134. *Immediate* a Deo & veniſſe Apoſtolorum, & venire adhuc dum Epiſcoporum omnium poteſtatem non minus I. ſacer codex (*a*) II. conſenſus Patrum (*b*) III. vetus diſciplina (*c*) IV. ſanæ rationis lumen, (*d*) manifeſtat (*e*).

(*a*) Iidem, quos ſupra §. 133. n. a. pro æquali Apoſtolorum poteſtate ex ſacris literis textus adtulimus, ſimul comprobant hanc poteſtatem Apoſtolis immediare a Deo tributam fuiſſe. Immediate a Chriſto omnes audierunt, *Euntes ergo docete*, EGO *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. EGO *mitto promiſſum Patris mei in vos*, *vos autem ſedete in civitate quoaduſque induamini virtute* EX ALTO. *Sicut miſit me Pater ita* EGO *mitto vos*. *Ipſe Chriſtus immediate inſufflavit omnibus & dixit*, *accipite ſpiritum ſanctum*. Hic ipſe ſpiritus immediate *ſedit ſupra ſingulos eorum*. Qui immediate *operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis*, etiam immediate *operatus eſt Paulo inter gentes*. Atque ne arbitremur vera hæc quidem omnia eſſe de Apoſtolis, quibus ipſe Chriſtus præſens aderat, inde vero ad Apoſtolorum ſucceſſores argumentum formari non poſſe, ſed hos ſaltem ab iiſdem a quibus Epiſcopi deſignantur, ſuam accipere immediate poteſtatem; obſervandum omnino eſt, etiam Paulo non ab ipſo Chriſto, ſed ab *Anania impoſitas eſſe manus*. Act. Ap. C. IX. v. 17. & tamen poteſtatem Apoſtolicam immediate ei a Chriſto obtigiſſe, quapropter ſcribit ad Galat. I. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem*, *ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem*, *qui ſuſcitavit eum a mortuis*. Plura alia poſt Chriſti in cælos aſcenſum teſtimonia a ſacris literis ſententiæ noſtræ ſuppeditantur. Sic Act. Ap. C. X. non gratia Petri, aut *gratia Dei* ex Petro *in nationes infuſa eſt*. *Sed adhuc loquente Petro verba hæc* ipſe *Spiritus Sanctus* immediate: *cecidit ſuper omnes*, *qui audiebant verbum*, neque Petrus hanc gratiam a ſe nationibus datam eſſe, ſed contrarium edixit C. ſequ. 17. qui ita habet: *Si ergo eandem gratiam* DEDIT ILLIS DEUS, SICUT ET NOBIS, *qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum*, *Ego quis eram*, *qui poſſem probibere Deum?* ſic ibidem C. XX. Paulus ad conſtitutos a ſe Epheſi Epiſcopos de ipſa eorundem poteſtate non aliter loquitur: quam *attendite vobis & univerſo gregi*, *in quo* VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT REGERE *Eccleſiam Dei*. Conſentiunt huic Apoſtoli effato ejuſdem Epiſtolæ locis compluribus, veluti, *diviſiones miniſtrationum ſunt*, *idem autem Dominus & diviſiones operationum*, *idem vero Deus*, *qui operatur omnia in omnibus* &c. I. ad Cor. XII. v. 4. & ſeq. *Mihi qui videbantur eſſe aliquid*, *nihil contulerunt*, *ſed contra*, *cum vidiſſent*, *quod creditum eſt mihi Evangelium præputii*, *ſicut & Petro circumciſionis*, *qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis*, *operatus eſt mihi inter gentes & cum cognoviſſent* GRATIAM, QUÆ FACTA EST MIHI, *Jacobus & Cephas & Joannes*, *qui videbantur columnæ eſſe*, *dextras dederunt* MIHI ET BARNABÆ *ſocietatis*, *ut nos in gentes*, *ipſi autem in circumciſionem*; ad Gal. C. II. v. 6. Profecto non tantum non Paulus, ſed nec *Barnabas* nec *Timotheus*, nec *Titus* gratia Apoſtolicæ ſedis Petri ſuam accepere poteſtatem, ſed *gratia Dei*. Venit quidem in illos hæc gratia per *impoſitionem manuum* II. ad Tim. I. 6. ſed bene advertas velim *per impoſitionem manuum mearum*, *non ab impoſitione* ait Apoſtolus: neque enim conditio, per quam quid fieri debuit, & ſine qua poteſtas illa collata non fuiſſet, propterea immediata hanc ipſam poteſtatem conferens cauſa eſt. Hæc ſemper ſolum Numen manet; ac certe illæ humanæ ordinationes tantummodo conditiones ſunt, & modi legitimi, quibus ita volente Deo ad percipiendam ab hoc immediate ſpiritualem poteſtatem quis ab iis, qui ſecundum Hierarchiam

id

id jus habent, conſtitui debet. Secus etiam Pontificis poteſtatem immediate a cardinalibus eundem eligentibus venire, ſecus poteſtatem Apoſtolorum immediate a ſorte Mathiæ obtigiſſe, admittere cogeremur.

Ita nimirum ſonant verba:

Ignatii: Epiſcopi per terræ terminos definiti EX JESU CHRISTI SENTENTIA: in Ep. ad Eph. §. 3.

Ambroſii. Epiſcopus perſonam habet Chriſti, VICARIUS DOMINI EST: in com. ad I. Cor. XI. 10.

Auguſtini. Antiſtitem Dei puriorem ceteris eſſe oportet. *Eſt enim Vicarius ejus*. Quæſt. vet. & novi Teſt. c. 127.

Baſilii: Nihil aliud Antiſtes, quam is, qui perſonam Chriſti ſuſtinet. Conſt. Mon. C. 22.

Vicarios itaque *immediate ipſius Chriſti*, non vero *Vicarios Pontificis* eſſe Epiſcopos, ſancti Patres agnovere.

(c) Quantum nos convincit Concil. Carthag. veteres Epiſcopi profecto minime admiſerunt, ſibi eam, qua gaudent poteſtate, a Pontifice eſſe communicatam. *Manifeſta*, pronunciat prædictum concilium, *eſt ſententia Domini noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolos ſuos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem a Patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſſimus*. Atque ita etiam in aliis Conciliis Epiſcopi, non Pontificis ſed Chriſti Vicarios ſe habendos eſſe dixerunt: *Conſilium a nobis quamquam indignis*, CHRISTI TAMEN VICARIIS *quærere, & divina devotione velut re vera ex ore ipſius expectare dignemini*, ait Concil. ad Theodonis villam an. 844. apud Harduin. Tom. IV. Col. 1466. Apud eundem Tom. IV. Col. 1480. verba Concilii Meldenſis an. 845. hæc ſunt: *Nos omnes licet indigni Chriſti tamen Vicarii & Apoſtolorum ipſius ſucceſſores*; & Tom. V. col. 468. Concilii Remenſis & Rotomagenſis provinc. ann. 858. *Rectores ac Paſtores Eccleſiarum ut Patres & Chriſti Vicarios colite*. Et cur adhuc dum in fine conſecrationis Epiſcopi indicatur, Deum voluiſſe: ut hic *Epiſcopus Eccleſiæ præſit*? cur non in traditione pedi, is certior redditur: Eccleſiis cunctis præeſſe Pontificem, & ipſos Epiſcopos tantummodo Pontificis munus vicarium pro conceſſa ſibi ab eodem poteſtate ſubire?

(d) Aperuit jam ſupra nobis recta ratio: Epiſcopos vel ideo, quia Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, & quia Eccleſia noſtra, ut fundata eſt, perpetuo durabit, illa omnino, quam Apoſtoli acceperunt, præditos eſſe poteſtate. Eadem recta ratio, & ex iiſdem principiis nobis ſimul aperit, Epiſcoporum non minus ac Apoſtolorum poteſtatem *immediate a Deo* provenire. Si enim Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, ſi Eccleſia noſtra ut fundata eſt, perpetuo durabit, annon etiam ille immediate a Chriſto inſtitutus Apoſtolatus uſque perdurat neceſſe eſt, & anne Petrus aut ejuſdem ſucceſſores Pontifices fundamentum aliud ponere, alium inſtituere Apoſtolatum poſſent? Reflectamus porro ad ea, quæ etiam jam ſupra ex Cyrillo Alex. de divo Thoma non præſente, quando Chriſtus inſufflavit Apoſtolis, & tamen poteſtatem Apoſtolicam immediate a Chriſto accipiente audivimus: *dedit Chriſtus non aliquibus ſeorſim, ſed univerſis diſcipulis, Quapropter eam accipiunt, tametſi quidam non aderant dantis liberalitate non ad præſentes ſolum contracta, ſed omnem Sanctorum Apoſtolorum chorum permeante*. Sane non perſonalem in perſona Petri, Andreæ, Jacobi, Joannis &c. & cum his perſonis extinguendam, ſed realem, cum munere Apoſtolico connexam, & cum eodem uſque duraturam poteſtatem Chriſtus inſtituit. Quid ergo jam aliud recta ratio concludet, quam Epiſcopos vel ideo, quia Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, & quia Eccleſia noſtra, ut fundata eſt, atque adeo illa immediate a Chriſto inſtituta Eccleſiaſtica poteſtas perdurat, ſuam poteſtatem *immediate a Deo* habere.

(e) Hæc argumenta; non opiniones præconceptas, non aſſerta ſolis Iſidorianis fundamentis innixa, non ſophiſmata, ſecuti ſunt in Concilio Tridentino Joannes Fonſeca Theologus Archiepiſcopi Granatenſis, Bartholomæus de Martyribus Archiepiſcopus Bracarenſis, Georgius Ziſcowid Præſul Senienſis, & tot alii Hiſpani, Gallique Præſules ac Theologi cum Petro Soto Dominicano divinam inſtitutionem Epiſcopalis Juriſdictionis defendentes; qui ſcilicet cordate conſtanter & concorditer hanc genuinam loquebantur linguam: *Si credatur Papa eſſe inſtitutus a Chriſto Jeſu; quia dixit Petro Matth. XVI. 19.* TIBI DABO CLAVES REGNI CŒLORUM, *& Joannis XXI. 15.* PASCE AGNOS MEOS, *credi non minus debere, a Chriſto æque conſtitutos eſſe Epiſcopos, cum omnibus Apoſtolis dictum ſit Matth. XVIII. 18. Joan. XX. 23.* QUÆCUMQUE ALLIGAVERITIS SUPER TERRAM, ERUNT LIGATA ET IN CŒLO &c. *item Marci XVI. 15.* EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM PRÆDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURÆ, *& Jo. XX. 21.* SICUT MISIT ME PATER ET EGO MITTO VOS. *Proinde ſi Pontifex ſuccedit in jus divinum Petri, Epiſcopos pariter ſuccedere debere, in jus divinum Apoſtolorum, veluti ſcriptum eſt:* POSUIT VOS SPIRITUS SANCTUS EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI. *Denotari hanc Juriſdictionis Epiſcopalis inſtitutionem ipſis formulis in conſecratione Epiſcopi adhiberi ſolitis — ſi authoritas Epiſcoporum non ſit a Deo, neque illam Conciliorum inde poſſe derivari* &c. Conf. Alexand. Nat. Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſ. 12. §. 2. ſeq. Pallavicinus Hiſtor. Concilii Trident. LXVIII. c. 15.

Digitized by Google

135. Adverſarii ajunt I. poteſtatem Epiſcoporum a Pontificibus reſtringi; extendi, imo tolli ſubinde; quod fieri non poſſe capiunt, ſi poteſtas Epiſcoporum immediate a Deo, & non a Pontifice oritur (*a*) II. notiſſimum eſſe, quod ipſi Epiſcopi ſe Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia tales eſſe ſcripto fateantur, (*b*) III. eſſe quidem Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, ſed in poteſtate conſecrandi tantum (*c*) IV. allatos textus partim *narrative*, non *diſpoſitive* loqui; partim V. pro poteſtate Epiſcoporum a Deo veniente quidem probare, ſed ita tamen, ut eam a Deo *mediate* (*d*) venire ſit intelligendum (*e*). Quæ quidem omnia non concludunt (*f*).

Non poteſtatem Epiſcoporum, ſed ejuſdem exercitium a Pontifice reſtringi, extendi aut tolli poſſe adverſariis admittemus. Elucebit infra, quantum Pontificis auctoritas eſſentialis & genuina unitatis in Eccleſia conſervandæ cauſa, quantumve ejuſdem ſucceſſu temporum adquiſita potentia ſeſe in exercitium poteſtatis Epiſcoporum exercere queat. Quis tamen, niſi omni logica naturali æque ac ſcientifica deſtitutus, propterea ipſam poteſtatem Epiſcoporum a Pontifice tanquam immediato fonte deducet? Poteſt ſane Princeps quidam Juriſprudentiæ doctori docendi licentiam extendere, reſtringere, aut tollere etiam; anne propterea ipſam docendi capacitatem, & ſuam doctrinam ejuſmodi Juriſconſultus immediate a Principe adquiſivit?

(*b*) Non latet nos unius alteriusve Epiſcopalis curiæ ſtylus; ſed neque latet nos, permultos ſe tantummodo *Dei gratia Epiſcopos* enunciare. Non redeo ad prima Apoſtolorum tempora, queis ſcriptæ ab Apoſtolis literæ non aliud initium habent, quam *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus*, ad Rom. C. 1. *Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei*, I. ad Cor. I. II. ad Cor. I. ad Epheſ. I. ad Coloſ. I. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum a mortuis*, ad Gal. I. *Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti*, ad Philip. I. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum Imperium Dei ſalvatoris noſtri & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ Timotheo dilecto filio in fide: gratia miſericordia & pax a Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro*. I. ad Tim. I. II. ad Tim. I. *Paulus ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti*, ad Tit. I. *Paulus vinctus Chriſti Jeſu & Timotheus frater Philemoni dilecto & adjutori noſtro*, ad Philem. C. Un. *Jacobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus*. Epiſt. Cath. Jac. I. *Simon Petrus ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti iis, qui* COÆQUALEM NOBISCUM SORTITI SUNT FIDEM, *in Juſtitia Dei noſtri & ſalvatoris Jeſu Chriſti*, II. B. Petri I. *Judas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, qui ſunt in Deo Patre dilectis & Chriſto Jeſu conſervatis & vocatis*. Ep. Cath. B. Jud. Sed extant medii, extant noviſſimi ævi Epiſtolæ Epiſcoporum, quorum initio non alia, quam Dei gratia ſe Epiſcopos eſſe præmittunt. Et denique ſalva res eſt. Eadem hæc quorundam ſe *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopos* nuncupandi ratio conſiſtente etiam ſententia noſtra ſano in ſenſu valet. Habent videlicet Epiſcopi omnes illam ipſam ſuam poteſtatem *immediate a Deo*, imo quia poteſtas non fruſtra iis a Deo data eſſe poteſt, habent immediate a Deo etiam jus exercendi, & quidem ſi neceſſitas Eccleſiæ exigit, juxta illud *euntes in mundum univerſum*, in toto terrarum orbe exercendi, veluti id ſupra §. 133. Not. c. exemplis Athanaſii, Euſebii & Epiphanii edocti ſumus. Quandoquidem autem jam ab ipſis Apoſtolis certæ mundi plagæ electæ, & ab iiſdem, uti Titus Cretæ relictus eſt, ita alii per alias civitates conſtituti fuerant, & quia confuſio aperta oriretur, ſi extra neceſſitatem plures in uno eodemque terræ tractu ſacrum regimen exercere vellent, ſapientiſſime *ſingulis paſtoribus*, ut ait Cyprianus, *portio gregis fuit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet*. Hæc quidem adſcriptio primum communi mutuoque conſenſu, licet non ſine divina inſpiratione fiebat, ſed quoniam deinde ob ipſum ſacrorum operariorum creſcentem numerum is mutuus conſenſus non porro tam facile obtineri poterat, oportebat harum gregis portionum & territoriorum diviſionem partim conſuetudine, partim expreſſis conſtitutionibus firmari. Emanarunt ejuſmodi Conſtitutiones tam a conciliis, quam a Pontificibus. Imo & Principes, quando novæ civitates vel Metropoles condebantur, quando transferebantur aulæ Regiæ, quando hoſtilitas territorii vicini aut aliæ rationes politicæ id depoſcebant, tanto minus morabantur, quin Epiſcopis territoria ſeu adſignarent, ſeu proferrent, ſeu conſtringerent denique, quanto eſt certius ipſam ejuſmodi territoriorum determinationem plane non actum ſpiritualem eſſe, & ſane judicium de territorio concedendo non ad alium quam territorii Principem pertinere. Sed hoc, quantumvis præter Novell. 11. Juſtiniani, quæ omnino legenda eſt, etiam domeſticis exemplis magis illuſtrare poſſemus, tantummodo quaſi per tranſennam obſervaſſe ſufficiat. Emanarunt (in eo

enim

enim res omnis quam dicere volumus nititur) emanarunt conſtitutiones Pontificiæ ſua nonnullis Epiſcopis adtribuentes territoria. Porro, quod plus eſt, non tantum territoriorum deſignationem, ſed ipſam in ejuſmodi territoriis quibuſdam, beneficii collationem Pontifices ſibi propriam fecere, adeo, ut ex factis, quæ adtentarunt, tandem ipſis jus, quod hæc illave gens pacem Chriſtianam & publicam præferens tranſactione ceſſerat, fuerit enatum. Demum novimus permultorum Epiſcoporum confirmationes, & generatim translationes etiam, aliaque, quæ olim reſpectu Epiſcoporum apud Metropolitanum ſynodumque provincialem facile tractabantur, medii ævi diſciplina ad ſedem Romanam tanquam cauſas arduas tranſiiſſe. Quid obſtat igitur quin Epiſcopi, etſi *quoad poteſtatem immediate Dei gratia* tales ſint, tamen obtutu Diœceſis aut beneficii obtenti, aut confirmationis, aut alterius cauſæ arduæ ſe ſimul *Apoſtolicæ ſedis gratia* Epiſcopos eſſe gratiſſimi palam fateantur.

(*c*) Sint in ſe diſtincta, quæ pertinent ad ordinem ab iis, quæ ſub juriſdictione continentur, & diſtinctis, per nos licet, vocabulis ſignificentur. Verum Epiſcopalis poteſtas tamen utrumque ex inſtitutione divina complectitur. Etenim miſit Salvator Apoſtolos, ſicut ipſum miſit æternus Pater, & ab hoc æterno patre acceptam Poteſtatem ſingulis tribuit, ſingulis inſufflavit, ſingulis dixit: *accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. ſingulos Epiſcopos ſpiritus ſanctus poſuit *regere Eccleſiam Dei*; non tantum *conſecrare*. Et qui *Petro operatus eſt, in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt Paulo inter gentes* non tantum ad *conſecrandum*.

(*d*) Facillimum, quod quis adverſarius quocumque S. Scripturæ textu preſſius dare poteſt, id eſt reſponſum: *ejuſmodi textum non diſpoſitive ſed tantum narrative loqui*, vel *ejuſmodi textum recte hac diſtinctione*, quæ ipſa in quæſtione eſt, velint docti alii admittere ſeu nolint, *debere reſolvi*. Facillimum ſane reſponſum. Num autem tam Chriſtiano, quam philoſopho dignum ſit, arbitrio cujuſvis prudentis Judicis relinquo. Ego quidem vereor, ne ita ex univerſo tandem Evangelio mera narratio, nulla diſpoſitio conficiatur. *Videte*, quæſo iterum cum Paulo, *ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Ad Coloſſ. C. II. neque *langueatis circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ*; I. ad Tim. VI. 4. conf. de Riegger, l.c. §. 20. uſque 24. Opponant tantummodo adverſarii noſtris textibus, quibus demonſtrabamus Chriſtum immediate ad Apoſtolos locutum, iiſdemque immediate poteſtatem ligandi & ſolvendi impertitum eſſe, textus tam claros, quibus convincamur, Apoſtolos a Chriſto miſſos ad Petrum, ut ab hoc juriſdictionem acciperent. Sed nec ipſe Bellarminus Lib. IV. de Romano Pontifice, cap. 24. & 25. hanc quæſtionem tractans ex ſacra ſcriptura Novi teſtamenti quidpiam contra nos adducit.

(*e*) Recte ait Gregorius Zallwein Tom. IV. quæſt. 2. Cap. 2. §. 8. *Res quodammodo abſurda & vires intellectus humani tranſcendens eſſe videtur, quod juriſdictio omnium Epiſcoporum in toto orbe Catholico exiſtentium ex Primatu Petri veluti ex fonte originario immediate in ipſos diffundatur.*

(*f*) Quantumvis ſane Didacus Lainez Societatis Jeſu Generalis contrariam Hiſpanis Galliſque ſententiam hiſce argumentis extollere conatus ſit, & Epiſcopos Italiæ (quorum 187. in Concilio, univerſe ex 265. Epiſcopis collecto ſedebant) in rem ſuam pro aris & focis habuerint dimicantes, Supremum tamen Numen, quod (ut Joan. Petrus Gibert loquitur) *Eccleſiæ ſuæ non promiſit fore, ut omnes veritates ſimul ipſi detegerent, ſed ſucceſſive prout, ipſe volet*, ſaltem hoc non admiſit, ut ſententia juxta Didaci Lainez Theologiam ederetur. Motiva concertationis Epiſcoporum Italiæ & quantum ea res Cardinali Lotharingio diſplicuerit, pluribus recenſet laudatus Gibert. Corp. Jur. Can. in Proleg. Part. I. Tit. 20. Sect. 6. p. 172. Hæc aliaque multa pandit quoque proteſtatio a. 1563. ſub finem Tridentinæ Synodi facta ab egregio Cardinale Carolo a Lotharingia, quæ extat in libro: Memoire pour le Concile de Trente pag. 571. nec non Franciſcus de Vargas Regis Hiſpaniæ in Concil. Trid. Orator, & Vir teſte Paulo Manutio & Pallavicino, Religionis ſtudio, doctrina, pietate in principem, & ſimul pro Pontificis authoritate editis ſcriptis præclarus in P. I. Comment. *quis ordo deceat in conciliis, & quænam ibidem ſunt legatorum officia.*

C A-

CAPUT IV.

De Primatu S. Petri ejuſque ſucceſſorum divinitus inſtituto.

§. 136. Stante autem hac omnibus Apoſtolis & Epiſcopis a Deo conceſſa æquali poteſtate, Primatus tamen honoris & juriſdictionis B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus adtributus defendi non tantum poteſt, ſed debet etiam. Cujus in demonſtratione ut rite procedamus, prænotare oportet, nomine Primatus intelligi prærogativam, vi cujus a Chriſto inter Apoſtolos, quoad ipſam poteſtatem ſpiritualem æquales, B. Petrus ita primus collocatus eſt, ut, quoniam continuum concilium aut etiam totius Eccleſiæ diſperſæ conſenſus tam cito ac opus eſt, haberi nequit, ei præ reliquis ſingulariter conſideratis in tota Eccleſia circa ea, quæ ad illius unitatem conſervandam pertinent, hanc eandem ſpiritualem poteſtatem competat exercere (*a*).

(*a*) Conſiſtit itaque hæc prærogativa in *ſollicitudine univerſæ Eccleſiæ*, ſeu ut malunt Galli in *ſollicitudine Eccleſiarum*, ne alicubi a fide illibata; a ritibus ſubſtantialibus Sacramentorum; ab una, eademque ſana doctrina morali deflectatur. Quæ prærogativa haudquaquam oppoſita eſt æquali Epiſcoporum poteſtati. Enimvero inde, quod quis inter Apoſtolos primus, & cum quadam prærogativa conſtitutus ſit, proptetea non magis eſt Apoſtolus & Epiſcopus, quam Apoſtoli & Epiſcopi alii; ita ſcilicet in Senatu Præſes Senatorum actibus intendit, Eos commonefacit; in hunc finem juſſa edit, arguit etiam, ac eatenus inter eos non tantum honorem, ſed & juriſdictionem habet, quatenus nomine principis urget, ut quiſque Senatorum illis juribus ac obligationibus, quæ & quas ſinguli æqualiter & immediate a Principe accepere, ſatisfaciant, quin propterea ipſe ita ſe ſtricta ſignificatione reliquis majorem eſſe exiſtimeſt, ut uno ſuo voto & arbitrio decidere, arbitria reliquorum Senatorum, dum ſuo officio ſecundum poteſtatem & normam a Principe ſibi datam ſatisfaciunt, pro lubitu intervertere, ſuæque illa voluntati, quaſi abſque hac non valerent, ſubjicere queat. Hæc de Primatu nobiſcum eadem Virorum in Eccleſia Catholica eruditorum & reverendiſſimorum ſenſa & jam vidimus (§. 133.) & porro per decurſum videbimus, quam ſolido ſint Sacris literis & omnis antiquitatis teſtimonio ſtabilita. Atque cumprimis S. Gregorius M. Primatum ſuum cum æquali Epiſcoporum poteſtate ita etiam compoſuit in Epiſtola ad Eulogium ſuperius §. 133. not. d. relata; ad quam ipſe Bellarminus L. II. de Rom. Pont. Cap. 31 hiſce ſcribit verbis: *reſpondeo duobus modis poſſe intelligi nomen univerſalis Papæ; uno modo, ut ille qui dicitur univerſalis, intelligatur eſſe ſolus Epiſcopus omnium urbium Chriſtianarum, ita ut cæteri non ſint Epiſcopi, ſed Vicarii tantum illius, qui dicitur univerſalis Epiſcopus, & hoc modo nomen hoc eſt vere profanum, ſacrilegum, & Antichriſtianum, & de hac ſignificatione loquitur Gregorius, ut patet ex ratione, quam reddit, ſic enim ait, L. IV. Ep. 36. ad Eulogium: ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Et L. VIII. ad Euſebium ſi unus univerſalis eſt, reſtat, ut vos Epiſcopi non ſitis. Altero modo dici poteſt Epiſcopus univerſalis, qui habet curam totius Eccleſiæ ſed generalem, ita, ut non excludat particulares Epiſcopos, & hoc modo nomen hoc poſſe tribui Romano Pontifici ex mente Gregorii probatur, quia Gregorius fatetur, tributum nomen univerſalis Epiſcopi (Leoni) Romano Pontifici a Concilio Calchedonenſi. Exiſtimavit igitur B. Gregorius in aliquo ſenſu hoc nomen Romano Pontifici convenire.* Sed quid? etiam in hac poſtrema ſignificatione titulum univerſalis Epiſcopi a Gregorio recuſatum dicamus? Profecto ut ex verbis relatis Gregorii patet, recuſarunt Pontifices id, quod ipſis a Chalcedonenſi Synodo fuit oblatum; anne autem nomen univerſalis Epiſcopi in prima ſignificatione, quam Bellarminus ipſe Antichriſtianam vocat, a Sancta Synodo oblatum fuiſſe dicemus? Recuſavit itaque Gregorius Nomen univerſalis Epiſcopi etiam in ſignificatione ſecunda, ſancte humiliterque metuens, ne per oblatum titulum arctareutur particularia jura, quæ ſingulis Epiſcopis ex inſtitutione divina & per univerſalia Eccleſiæ concilia in ſuis diœceſibus ſtabiliuntur. Sed & juvat hoc ſtatim loco verbis S. Cypriani exhibere; ut Primatus ita accipi debeat, atque ita æqualem Epiſcoporum non ſubvertat poteſtatem. Enimvero ſanctus hic Pater in Carthaginenſi Synodo III. circa an. 255. apud Harduinum Tom. I. Col. 159. ita contra Stephanum ad collegas ſuos ex tribus Africæ provinciis congregatos loquitur; *Neque enim quiſquam noſtrum* EPISCOPUM

Digitized by Google

SE ESSE EPISCOPORUM *conſtituit, aut tirannico terrore ad obſequendi neceſſitatem* COLLEGAS SUOS *adigit, quando habeat* OMNIS EPISCOPUS PRO LICENTIA LIBERTATIS ET POTESTATIS SUÆ ARBITRIUM PROPRIUM *tanquam judicari ab alio non poſſit, cum nec poſſit ipſe alterum judicare. Sed expectemus univerſis judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & proponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi.* Eandem primatus notionem æquali Epiſcoporum poteſtati non contrariam, ſed tantummodo quidpiam intuitu unitatis conſervandæ ſecumferentem exprimit Baſilius hiſce verbis: *Chriſtus Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit, & omnibus præterea deinceps Paſtoribus eandem tribuit poteſtatem*; item Eucharius Lugdunenſis, ſcribens: *Quod Petro principaliter, hoc reliquis quoque Apoſtolis dictum intelligi debet.* Sed ſtabiliamus nunc ante alia principatum noſtro ſenſu ſumptum. Quæ ſpeciatim complectatur, quæque non complectatur, ea jam porro pluribus deducentur.

§. 137. Vel ex deſcriptione iſta Primatus jam I. divina in eodem inſtituendo ſapientia intelligitur. Voluit nempe Chriſtus Eccleſiam ſuam non tantum eſſe perpetuam, ſed quoque univerſalem ſimul, ſimulque unam. (*a*). Ad unitatem igitur ſuæ Eccleſiæ in univerſo terrarum orbe conſervandam ſapientiſſime *ſuper Petrum fundavit Eccleſiam, & licet id ipſum in alio loco ſuper omnes Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, attamen propterea inter duodecim unum elegit, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio* (*b*)

(*a*) Præcipui hi ſunt Eccleſiæ noſtræ characteres, quod ſit.

1. *Perpetua* juxta illud: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculorum*; Matth. C. ult. v. ult.

2. *Univerſalis* ſecundum illa, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15.

3. *Una*, ita ut unitas conſiſtat

1. In unitate principii, ſeu Auctoris.

2. In unitate finis, videlicet æternæ ſalutis.

3. In identitate doctrinæ, & ſacramentorum.

Quæ omnia nos docet Apoſtolus, dum ait: *in* UNO SPIRITU *omnes in* UNUM CORPUS *baptizati ſumus.* I. ad Cor. XII. *n.* 13. *Sumus enim omnes* UNUM CORPUS & UNUS SPIRITUS, *ſicut vocati ſumus in* UNA SPE *vocationis noſtræ* UNUS DOMINUS UNA FIDES, UNUM BAPTISMA, UNUS DEUS, ET PATER OMNIUM — *donec occurramus omnes* IN UNITATEM FIDEI, *& agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur* OMNI VENTO DOCTRINÆ, *in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*; ad Epheſ. C. IV. v. 4. & ſeq. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 7.

(*b*) Sunt verba HIERONYMI adv. Jov. L. I. cum quibus conſpirat ſententia S. OPTATI MILEVITANI, *Bono unitatis B. Petrus — præferri Apoſtolis omnibus meruit*, L. VIII. contra Parm. p. 104. S. Auguſtini, *ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus*, Tract. 108. S. PACIANI: *Ante Paſſionem ſuam dixerat Dominus Apoſtolis: Quæcunque ligaveritis — — ad Petrum locutus eſt Dominus; ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno: mox id idem in commune præcipiens; qualiter tamen ad Petrum incipit; Et ego dico tibi &c.* Ep. 3. LEO P. *dicitur Beato Petro, tibi dabo claves &c. Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos jus poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes, decreti hujus conſtitutio commeavit: ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petrus forma præponitur.* Serm. III. pag. 32. edit. Lugdun. an. 1700. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 30. Profecto dum Chriſtus Eccleſiam ſuam perpetuam univerſalem atque unam eſſe, & tamen eandem humano modo regi voluit, ad eum finem obtinendum non pactum, non fœdus, non ullus alius humanus modus tam ſufficiens erat, quam hoc inſtitutum, ut B. Petrus, & poſt illum in hac perpetua Eccleſia perpetuo quis adſit tanquam caput viſibile, cui primo inter reliquos ſingulares paſtores, quotieſcuncunque circa totius Eccleſiæ unitatem quid diſponendi neceſſitas exigit, & honor & poteſtatis ſpiritualis uſus competere ab omnibus agnoſcatur.

§. 138. Ut vero, quod hactenus obſervavimus, præcipuam denuo demonſtrationem ex fundamentali noſtræ Religionis ſcripta lege, ſeu *Evangelio* petamus, elucet II. ſapientiſſimum hoc primatus inſtitutum tam ex ipſius Chriſti verbis apud Matth.

Matth. XVI. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. -- Et tibi dabo claves regni cœlorum &c.* (*a*) Porro apud Joan. XXI. 15. *Simon Joannis diligis me plus his --- Paſce agnos meos --- Paſce oves meas.* (*b*) quam ex eo, quod in tot ſacræ ſcripturæ locis Petrus honoratiori ac plerumque primo loco, nec non raro ſejunctus a cæteris cum quadam prærogativæ ſignificatione ponatur. (*c*)

(*a*) Aſſumendo hunc textum non contradicimus iis, quæ ſupra exponebamus. Uſque defendimus cum SS. Patribus; in eodem textu eandem, quæ Petro obtigit etiam reliquis Apoſtolis datam eſſe poteſtatem; uſque agnoſcimus in hoc textu claves Regni cœlorum toti Eccleſiæ conceſſas fuiſſe. Sed tamen id etiam cum iiſdem Patribus in hoc textu nobis obſervare licebit, idque nobis nemo negabit: Chriſtum ad Petrum & quidem non abſque ratione præ ceteris eſſe locutum. Non repeto hanc rationem, utpote quam §. priori ſatis ſuperque ſtabilitam exhibui. Neque dimovemur notiſſimis illis varii generis aſſertis videlicet, dum quidam aiunt, Chriſtum hæc verba *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* ad ſe ipſum direxiſſe: alii ad Auguſtinum provocant, qui Chriſtum Petram eſſe teſtatur; alii denique etiam ceteros Apoſtolos Eccleſiarum fundamenta adpellatos eſſe commemorant. Enimvero advertente Petro de Marca Auguſtinus petram aliud a Petro eſſe ex linguæ Siriacæ ignoratione putavit. Si ergo Chriſtus Simonem, id enim ei proprium nomen erat, Petrum ſeu potius petram compellavit, quæ interpretationis lex ſuadet, ut verba ſequentia, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* a Chriſto ad ſe ipſum directa eſſe intelligi debeant? Sufficit, Simon Petra a Chriſto compellatus eſt, atque ſi Deus Abrahamum, quia eum omnium gentium eſſe patrem voluit, porro Joſue, quia hunc ducem ſui populi elegit, ita non fruſtra compellavit, cur Simon præ ceteris Apoſtolis Petra fruſtra compellatus eſſe deberet? Nemo itaque mihi porro moleſtus ſit objiciendo: ab Hieronymo, ab Euſebio Caſarienſi linguæ Siriacæ peritiſſimis idem dici. Chriſtum Eccleſiæ Petram atque caput inviſibile eſſe, ultro admitto, ſed repeto etiam Simonem a Chriſto Petram & non fruſtra ita eſſe compellatum. Atque idem, ſemper Evangelio fretus, etiam repetam illis, qui mihi quidem, reliquos Apoſtolos ex Pauli Epiſtola ad Epheſos Eccleſiæ fundamentum nominari, nullum tamen Apoſtolorum præterquam Simonem a Chriſto Petram nominatum eſſe oſtendere poſſunt.

(*b*) *Diligis me plus* HIS? quærit ex Petro Chriſtus, & quæſtioni de amore hoc ter repetitæ, terquoque paſcendi munus ſubjungit. Sit per me licet etiam hoc textu illud ſacrum omnibus æque conceſſum regimen indicatum. Attamen & hoc textu Chriſtus ad Petrum præ ceteris locutus eſt, & ad eum quid ſingulare per hæc ipſa verba: *diligis me plus* HIS omnino locutus eſſe debet.

(*c*) *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc.* PRIMUS *Simon, qui dicitur* PETRUS &c. Matth. X. v. 2. conf. Marci I. 36. Luc. VIII. 45. Act. I. 15. II. 14. XV. 7. Speciale profecto quidpiam etiam Origenes in Joan. pag. 382. Tom. II. edit. Huet. ex hiſce ita explanat: *quod ſi opus eſt ſcripturam perſcrutari uſque ad ea, quæ minima eſſe putantur, quæret aliquis; cur tandem in numerandis Apoſtolis primum locum obtineat Petrus? fortaſſis, quia cæteris honorabilior, quoniam etiam vere omnium ultimus Judas ad malum affectum in ultimum locum projectus jacet.* Quo ſenſu etiam Euſeb. Cæſarienſis, L. III. demonſtrat. Evangel. pag. 123. *Petrum omnibus Apoſtolis præpoſitum*; & in Pſ. LXIX. pag. 373. *maximum inter Apoſtolos* dixit.

§. 139. Accedit III. traditio, cujus teſtes omni exceptione majores SS. Patres ſunt. Sane hanc de primatu Petri ſententiam omnes, etiam tam græcæ (*a*) quam latinæ Eccleſiæ (*b*) Patres unanimes conteſtatos eſſe, cuivis eorundem monumenta produnt.

(*a*) Attingam tantummodo aliquorum verba præcipua, qualia ſunt.

Baſilii: Beatus ille Petrus omnibus diſcipulis prælatus &c. in Proem. de Judic. Dei.

Cyrilli: Petrus Apoſtolorum ſummus & Princeps. Catech. II. & XI.

Ephrem. Princeps ac vertex Apoſtolorum Petrus; Serm. de compunct.

Gregorii Niſſeni. Ille, quem Dominus Apoſtolici Chori Principem & Coriphæum deſignavit. Serm. II. de Stephan.

Epiphanii. Princeps Apoſtolorum Petrus &c. Hær. 59. c. 7.

Chryſoſtomi. Gravem poſt illum caſum, namnullum negationi par malum, ſed tamen poſt tantum malum, en! iterum eum ad priorem honorem revehit, Eccleſiæ præfecturam ipſi per univerſum mundum tradidit. Hom. V. de pœnit.

(*b*) Sic ait.

Ambro-

Ambroſius. PRIMATUM *non accepit Andreas, ſed Petrus*; in Cap. XII. Ep. 2. ad Cor.
Hieronymus. Quid Platoni & Petro? ut ille enim Princeps Philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit. L. I. adv. Pelag.
Auguſtinus. In ſcripturis ſanctis diſcimus Apoſtolum Petrum in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum. L. II. de Bapt. n. 2.
Conf. cl. de Riegger l. c. §. 24. uſque 30.
Vide eadem apud Gregor. Nazianz. Orat. 26. pag. 453. item Orat. 7. pag. 142. Theodoretum Epiſt. 77. pag. 947. Gregor. M. L. III. Ep. 30. L. V. Ep. 13. & 20. L. VII. Ep. 19. nec non teſtimonia Cypriani apud Petrum Conſtant. Præfat. ad Epiſt. Rom. Pontif. pag. 4. ſeq.

§. 140. Qui adverſus Petrum, ejuſque ſucceſſores Romanos Pontifices obtutu Primatus præcipui inſurrexere adverſarii, in quinque claſſes diſtingui poterunt. *Prima* eſt eorum, qui primatum in Eccleſia ullum unquam fuiſſe inſtitutum aperte negant. (*a*) *Secunda* illorum, qui Paulum omnino exæquant Petro, & utrumque ita duo Eccleſiæ Romanæ capita eſſe dicunt, ut tamen ſimul nonniſi unum primatum conſtituant (*b*). *Tertia* complectitur negantes: Petrum unquam fuiſſe Romæ (*c*). *Quarta* negantes: Petrum, etſi Romæ fuerit, Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe. (*d*) *Quinta* denique claſſis collapſo Imperio occidentali etiam primatum in orientem tranſiiſſe aſſerit (*e*).

(*a*) Præter illa, quæ jam §. priori not. a. adduximus ſimul, ſimulque refutavimus, oggerunt I. can. 28. Concil. Chalcedonenſis, qui ita ſonat: *Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegio tribuerunt*; II. Valentiniani III. Nov. cujus verba ſunt hæc: *Quum igitur ſedis Apoſtolicæ primatum S. Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ & Romanæ, dignitas civitatis, ſacræ etiam Synodi firmaverit auctoritas*. Ex quibus deducere volunt, primatum non ex inſtitutione divina, ſed auctoritate humana & privilegio conciliorum veniſſe. III. *Illum Cypriani* in Synodo Carthaginenſi ſermonem, ſuperius jam relatum. IV. Can. 3. Diſt. 99. qui ſic a Gratiano refertur: *Primæ ſedis Epiſcopus non adpellatur Princeps ſacerdotum vel ſummus Sacerdos aut aliquid hujuſmodi; ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus, & cui idem Gratianus ſubjungit: univerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex adpellatur*. Etenim I. allegatus concilii Chalcedonenſis Canon, ut pridem ab eruditis illuſtratum eſt, nullatenus de primatu ſedis Romanæ, ſed de jure Patriarchico agit; du Pin de Antiqua Eccleſiæ diſciplina diſſ. 1. §. 11. quamvis non negemus ſucceſſu temporis jura primatus & Patriarchatus ſæpe a multis confuſa fuiſſe. Ita illud quod refertur in cauſa III. quæſt. 6. Can. 8. & quod S. Leo Theſſalonicenſi Epiſcopo in Epiſt. 12. ſcripſit: ſcilicet *vices noſtras ita tuæ credidimus Charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis* aliqui accepere ad defendendum ſuum axioma *Pontifici Plenitudinem poteſtatis competere; Epiſcopis vero tantum in partem ſollicitudinis vocatos eſſe*; non intelligentes, nullam hic Poteſtatis Pontificiæ cum poteſtate Epiſcoporum comparationem inſtitui, ſed ſermonem eſſe de poteſtate Patriarchali, quam ſeculo V. Rom. Pontifex per Illiricum obtinuit, & propter quam Theſſalonicenſi Epiſcopo, non tanquam Epiſcopo, ſed tanquam ſuo per Illiricum Vicario ita ſcripſerat. Petrus de Marca de conc. Sac. & Imp. L. V. Cap. 26. Valentiniani autem Novella nos II. tanto minus premit, quanto lubentius ipſi admittimus: Primatum auctoritate tot conciliorum fuiſſe *firmatum*: *firmaverit* enim ait canon, non *inſtituerit*. Ad Cypriani ſermonem repono III. eidem nunquam fuiſſe mentem Epiſcopo Romano Primatum his verbis negandi, & ſibimet ipſi contradicendi, dum locis aliis plurimis, maxime in Epiſt. 45. ad Cornel. ſedem Romanam tanquam *Eccl. Catholicæ radicem, & matricem* defendit. Nil aliud ſane Cyprianus ſine contradictione hoc loco potuit intendere, quam demonſtrationem: Epiſcopum Romanum, quantumvis unitatis conſervandæ cauſa Primas ſit, ceteroquin tamen non ita *univerſalem Epiſcopum* eſſe, ut Epiſcopos reliquos in ſacra poteſtate ipſis immediate a Chriſto Jeſſu conceſſa turbare, judicare, ſacram Eccleſiæ, in qua a Spiritu ſancto poſiti ſunt, regendæ libertatem pro arbitrio iis conſtringere & tyrannico terrore imperare queat. Quæ omnia & nos cum Cypriano admittimus: Quod IV. denique relatum Can. 3. attinet, notiſſimum eſt, eum non ad Romanum, ſed quoſdam Africæ Epiſcopos, qui hos ſibi titulos arrogarunt, eſſe directum. Ceterum ut jam ex ſupra dictis patet, quam optime & ſine ſubverſione noſtræ ſententiæ ſubjungitur: *Univerſalis autem Epiſcopus nec etiam Romanus Pontifex adpellatur*.

(*b*) Etiam ſecundæ Claſſis adverſarii per

ea, quæ pro ſolius Petri primatu argumenta adduximus, jam ſatis ſuperque repreſſi ſunt. Conſ. Mamach. de Orig. & antiq. Eccleſ. Tom. V. pag. 99. 351. & 368.

(*c*) Petrum Romæ fuiſſe,

1. Uſque ad ſeculum Chriſti decimum ſextum nemo dubitavit.

2. Teſtatur *Clemens*; qui Petri auditor fuit, in Epiſtola ad Corinthios ſcripta apud Conſtant. in coll. Ep. Rom. Pontif. Tom. I.

3. *S. Ignatius* diſcipulus Apoſtolorum in Epiſt. ad Rom. §. 4.

4. *Dionyſius* Epiſcopus Corinthiorum, *Clemens Alexandrinus*, *Cajus* Romanæ Eccleſiæ Presbyter, *Origenes* apud Euſebium Hiſt. Eccles. Lib. II. c. 15. & 25. aliique innumeri, quos vide apud Mamachium orig. & antiqu. Eccl. Tom. V. p. 545.

5. Ipſa B. P. Epiſtola I. ult. ver. 13. his verbis: *ſalutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*; in queis verbis nomine *Babylonis* certe Roma venit propterea, quia

1. *Ægyptia Babylon* tunc temporis oppidum erat, valde exiguum, iis, ad quos Petri Epiſtola ſcripta fuit, vix ac ne vix quidem cognitum, & a nullo majorum noſtrorum tanquam locus, quo Petrus penetraſſet, memoratum.

2. *Chaldæorum Babylon* ante hanc Petri Epiſtolam exaratam everſa eſt.

3. *In Provinciam Babyloniorum* Petrum unquam veniſſe pariter a nullo veterum traditur.

4. Etiam Apocalyps. Cap. XVIII. v. 5. Joanni Roma nomine Babylonis venit.

6. Non exiguus numerus Proteſtantium eruditionis laude inſignium, apud Mamach. L. c. p. 548.

Objectationes adverſariorum, quod I. veteres id, quod de Romano Petri itinere deferunt, a Papia viro rudi & rerum Chriſtianarum ignaro acceperint II. ipſi hujus itineris fautores certent, *Claudiine* illud, an Neronis ætate contigerit. III. totum hoc iter ex ſacra ſcriptura probari nequeat, futiles & omnino infirmæ ſunt. Enim vero I. *Clemens* Petri Auditor & antiquior Papia, *Ignatius*, qui cum Petro ipſo & Joanne egit ut animadvertit Mamachius, hac in parte certe nil a Papia mutuarunt. Imo ipſe Irenæus, qui Papiam nominat, quoties ejuſdem dicta uſurpat; dum de Petri hoc itinere diſſerit, nullam ejus mentionem facit. II. multarum aliarum rerum, quo tempore contigerint, memoria non extat, quin propterea eas contigiſſe in dubium vocetur. Sic annum, quo Herodes in infantes ſæviit, annos, queis Chriſtus in Palæſtina prædicavit, & cruci adfixus eſt, chronologorum alii citius, alii tardius determinant: & tamen advertente iterum Mamachio unum horum alterumque non contigiſſe, propterea concludi non poteſt. Ceterum diſſenſionem totam laudatus celeberrimus vir ita componit, ut Petrum primo ſub Claudio Romam veniſſe, ſubinde eo diſceſſiſſe, & iterum ſub Nerone demum rediiſſe ſtatuat. Idem plane III. ad ultimam objectionem retorquemus. Multa ſane litteris ſacris non referuntur contigiſſe, quæ tamen certiſſima aliunde habemus, & in queis genuina traditio nobis eandem auctoritatem facit. Conſ. cl. de Riegger L. c. §. 31. uſque 34.

(*d*) Demonſtrat id

1. Teſtimonium *Caji*, ſeu quiſquis ille fuit, qui contra Artemonem ſcripſit, & ſub finem ſecundi ſæculi floruit, qui de *Victore* ait: *Tertius ac decimus a Petro fuit Romæ Epiſcopus*. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. L. V. c. 28.

2. *Auctor Carminum adverſus Marcionem*, æqualis Tertulliano, qui ita canit:

Hac Cathedra, PETRUS, QUA SEDERAT IPSE *locatum*
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit.

3. *Hieronym.* L. I. de Vir. ill. *Optatus Milevitanus* L. II. adv. Parmen. c. 3. *Auguſtinus* Epiſt. 35.

4. *Severus Sulpitius* L. II. *Prudentius Hym.* II. Periſt.

5. Nonnulli *Anglicanæ* Eccleſiæ, quos *Epiſcopales* vocant, veluti *Pearſonius* diſt. I. de ſucceſſ. Prin. Epiſc. Rom. Cap. 6. *Hamondus* diſſ. V. de Epiſc. Cap. I. §. 17.

Ex eo ſane, quod Apoſtoli in mundum univerſum ire juſſi ſunt, non conficitur Petrum Romæ Epiſcopum non fuiſſe, atque principalem ſuam ſedem ibidem non fixiſſe. Neque hoc indignum fuerat orbis Apoſtolo; ſecus & in Jacobo, qui pariter orbis Apoſtolus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus præfuit, id reprehendendum foret. Corruunt itaque hi Thomæ Ittigii & Basnagii ſcrupuli, ſed & corruit illius commentum, Hieronymum hujus opinionis auctorem fuiſſe, cui opponi antiquior Lactantius debeat, ſive auctor libri de mortibus perſecutorum, qui nuſquam Petrum Epiſcopum Romanorum fuiſſe ſcribit. Nam *Cajus* Presbyter & auctor *Carminum adverſus Marcionem* Hieronymo & Lactantio antiquiores teſtes ſunt. Conſ. cl. de Riegger l. c. §. 35. uſque 38.

(*e*) Ab obitu B. Petri uſque ad noſtra tempora eoſdem, qui illi in Epiſcopatu Romano ſucceſſerant, etiam ſucceſſores in Primatu fuiſſe nos convincunt.

1. *Concilia*, maxime

α. Nicænum I. quod Can. 6. inquit: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*.

β. Conſtantinopolitanum I. quod can. V. decrevit: *Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportere primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum*;

γ Con-

Digitized by Google

7. *Concilium Conſtantienſe*, quod damnavit propoſitiones Wikleffii & Huſſii, quorum ille ajebat: *Non eſt* de *neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*, hic vero: *Romanus Pontifex non eſt caput Romanæ Eccleſiæ*.

8. *Florentinum*, in quo utriuſque Eccleſiæ græcæ ac latinæ conſenſu pronunciatum eſt: *definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, &* ROMANUM *Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum & ipſum Pontificem* ROMANUM *ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum* &c.

2. S. S. PATRES veluti *Athanaſius* in Epiſt. ad Felicem P. *Theodoretus* Epiſt. 116. ad Renatum; *Chryſoſtomus* in Epiſt. ad Innocent. I. Pap. dum a *Theophilo Alexandr.* & *ſynodo ad Quercum* exauctoratus eſſet. *Cyprianus* in Epiſt. ad Cornel. P. *Hieronymus* in Epiſt. 57. ad Damaſ. *Auguſtinus* cujus in Epiſt. 43. clariſſima verba hæc ſunt: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus:* adde *Bernardum* L. II. conſid. ad Eug. C. 8. &c. &c.

3. TESTIMONIA IMPERATORUM, ſic *Valentinianus* in Epiſt. ad *Theodoſ.* ſcribit. *Beatiſſimus* ROMÆ *Civitatis Epiſcopus, cui Principatum ſacerdotii* OMNIS ANTIQUITAS *contulit*, adde Juſtiniani L. 7. & 8. C. de SS. Trinit.

* Probe tamen diſtinguenda ſunt Primatus ipſe, a ratione in eum ſuccedendi. Nullus Catholicorum non admittet, ipſum Primatum divinæ inſtitutionis eſſe; Nullus quoque diffitebitur, a morte Petri ad noſtra uſque tempora continuo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos in ſuprema hac dignitate ſucceſſiſſe, atque in hoc igitur & illo a ſenſis Wikleffii & Huſſii per Eccleſiam damnatis erit remotiſſimus. Verum licebit catholico ad exemplum virorum in noſtra Eccleſia celebratiſſimorum aſſerere, *quod in Primatum a Chriſto inſtitutum poſt Petri mortem non alii quam Romæ Epiſcopi ſucceſſerint, id ex Jure humano, non divino arceſſendum eſſe*. Loquitur nempe ipſe iterum Bellarminus hiſce verbis. *Quod Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi unquam eligere; ſicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is quem Eccleſia ſibi elegiſſet; potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet. Quia vero Romæ ſedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuccedat.* L. II. de Rom. Pontif. Capit. 12. Opp. Tom. I. pag. 635. Edit. Col. Addit quidem *non impoſſibile eſſe Dominum etiam aperte juſſiſſe, ut ſedem ſuam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus Epiſcopus abſolute ei ſuccederet — quoniam S. Marcellus P. in Ep. ad Antiochenos ſcribit, Petrum Domino jubente veniſſe Romam; & S. Ambroſius in oratione contra Auxentium & Athanaſius in Apolog. pro fuga ſua dicunt: Petrum Chriſti Juſſu Romæ Martyrium pertuliſſe*; unde etiam alii inferunt: ſummum Pontificatum probabilius ex inſtitutione Chriſti Epiſcopatui Romano annexum eſſe. Verum, etjamſi, ait Reverendiſſimus & doctiſſimus noſter Abbas Brzenov Stephanus Rautenſtrauch, liberaliter demus: Petrum jubente Domino & Romam petiiſſe & ibidem oppetiiſſe mortem, inde tamen non etiam erui poteſt, *apertum Domini Juſſum, quo ita juſſus ſit ſedem ſuam figere Romæ, ut Romanus Epiſcopus abſolute ei in Primatu quoque ſuccederet*; in Inſtit. Jur. Eccleſ. §. 112. in not. ubi & Epiſtolam Marcelli ex mercibus Iſidori eſſe demonſtrat. Cum itaque quoad Perſonam & locum ſucceſſoris in Primatu a Deo nihil ſtatutum ſit, illud factum Petri nullatenus obſiſtit, quo minus Eccleſia vi ſuæ ſupremæ autoritatis, quam mox pluribus ſumus demonſtraturi, aliam ſucceſſionis rationem pro re nata determinare poſſet. Id quod etiam aperte ſtatuunt Scotus in IV. Diſt. 34. Card. de Cuſa de concordantia Cathol. L. II. Cap. 33. Cordubenſis L. IV. qu. 1. Bannes in II. quæſt. 1. art. 10. & alii. Nunc intelligitur, quo ſenſu ſit accipienda Regni Galliæ ſententia in articulis Germaniæ Smalcaldæ propoſitis, expreſſa his verbis: *Sentire Regem Galliarum iure tantum humano, non divino, Romanum Pontificem habere Primatum.*

C A P U T V.

De infallibilitate Eccleſiæ in rebus fidei, & moribus ad ſalutem æternam pertinentibus.

§. 141. Ex ipſa natura & fine revelationis, quæ nobis in ſtatu corruptionis fallere fallique ſolitis ſuccurrere debet, & niſi nos certa ad æternam ſalutem ſemita perduceret, fruſtranea eſſet: porro ex iis, ex quibus ſupra (a) ſingulorum homi-

num etiam habita revelatione ſe ſolo ſuo judicio ſecure & infallibiliter dirigendi impotentia a me deducta fuerat, neceſſitatem infallibilis cujuſdam Regiminis jam recta ratio perſpicit; atque ideo etiam a divino & ſapientiſſimo Eccleſiæ noſtræ fundatore ejuſmodi infallibile Regimen inſtitutum eſſe ultro admittit. Sed patet præterea uniuſcujuſque oculis ſcriptura ſacra (*a*) patet etiam, veluti in SS. PP. monumentis conſignata eſt, lex tradita (*c*). Utraque de infallibilitate Eccleſiæ noſtræ, ſub qua quidem Eccleſiæ Rectorum cœtus intelligi debet (*d*) omnem nobis prohibet dubitationem.

(*a*) Vide ſupra §. 19. 20. ubi obtutu interpretationis ſacrarum literarum neceſſitatem cujuſdam, qui omnibus fidelibus communis ſit, infallibilis Judicis commonſtravi. Ejuſmodi ſane judicem (ut ait Muratorius, cujus integrum hac de re pulcherrimum ratiocinium apud cl. de Riegger loco ibidem a me citato invenies) *in terris haberi tum divinæ clementiæ conſentaneum, tum imbecillitati humanæ neceſſarium eſt.*

(*b*) Etiam ipſius noſtræ revelationis præcepta, quæ Eccleſiæ infallibilitatem nobis credendam injungunt, jam ſupra §. 21. attigi, ſed juvabit eadem hic pleniora exhibere, veluti continentur.

1. Matth. XVIII. v. 17. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.*

2. Matth. XVIII. v. ult.: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.*

3. Joan. XIV. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum* IN ÆTERNUM, SPIRITUM VERITATIS, *quem mundus non poteſt accipere.*

4. Ibidem v. 24. & 26. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens, Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vobis docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*

5. Joan. XVI. v. 13. *Cum autem venerit ille* SPIRITUS VERITATIS, *docebit vos* OMNEM VERITATEM.

6. Act. Apoſt. XV. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*

7. I. ad Tim. III. v. 15. *Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum* VERITATIS &c. &c.

(*c*) Sic ait:

S. Irenæus. Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere —— Hæc eſt enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt, & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem ſunt Eccleſiæ cum ſumma diligentia diligere, & apprehendere veritatem traditionis. Hoc enim Eccleſiæ creditum eſt Dei munus —— ubi enim Eccleſia, ibi ſpiritus Dei, ubi Eccleſia, eſt omnis gratia: Spiritus autem veritas, &c. &c. Contr. Hæreſ. L. III. c. 4. & 24.

S. Auguſtinus. Non accipio, quod de rebaptizandis hæreticis D. Cyprianus ſentit, quia hoc ECCLESIA NON ACCIPIT, *pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit —— ſcripturarum a nobis tenetur* VERITAS, *cum hoc facimus, quod* UNIVERSÆ *jam placuit* ECCLESIÆ, *quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas, ut quoniam ſacra ſcriptura fallere non poteſt*, QUISQUIS FALLI METUIT, HUJUS OBSCURITATE QUÆSTIONIS EANDEM ECCLESIAM CONSULAT, *quam ſine ulla ambiguitate ſacra ſcriptura demonſtrat.* Contr. Creſc. C. 31. & C. 33. &c. &c.

(*d*) Ipſi Rectorum Eccleſiæ cœtui, non Rectoribus ſingulis infallibile judicium conceſſum eſſe quam facillime defendo. Etenim

1. Nil aliud neceſſarium erat, quam ut adſit quoddam infallibile judicium, atque huic neceſſitati ſufficienter proſpectum eſt hoc eodem judicio univerſæ Eccleſiæ conceſſo.

2. Etſi Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ne fallatur, adſiſtentiam ſupernaturalem promiſit, ceterum tamen eam humano modo uſque regi voluit. Regunt itaque Eccleſiam humano modo ii, qui a ſpiritu ſancto poſiti ſunt homines, & quanquam ſinguli, ut homines, ſint fallibiles, tamen infallibilem Regiminis normam, unde eam pro neceſſitate ſumere debeant, videlicet in Eccleſiæ univerſalitate ſibi deſignatam habent. Hinc

3. Non obſtat, quod ita unus alterve Epiſcoporum ex defectu cujuſdam ſibi propriæ, & continuæ infallibilitatis oves ſuas ſemita erronea ducere poſſet. Enimvero hoc probaret nimium, & hac ratione neceſſe foret, ut etiam quivis Parochus, ludimagiſter quivis, ne illos, quos inſtruunt, ſeducant, infallibiles eſſent; imo ut quivis fidelis infallibilitate gauderet, quia ſtante omni Antiſtitum infallibilitate, & hac tamen non attenta in vias fallaces quædam oves abire poſſent. Sufficit, quod infallibilis adſit Eccleſia. Hanc infallibilem Eccleſiam audiant Epiſcopi, & Epiſcopos fideles reliqui. Atque ita uni ſoli univerſæ Eccleſiæ conceſſa infallibilitate fidelibus omnibus conſultum erit. Et quæ denique in norma infallibili ab Eccleſia obtinenda difficultas? Nonne utique erunt Epiſcopo cuivis conciliorum æcumenicorum deciſiones, notum illud, in quod hactenus univerſa Eccleſia tacite conſenſit, no-

ta

ta demum antiquiſſima methodus in rebus magni momenti *literis communicatoriis* explorandi præcipuorum Antiſtitum ſenſa, intereaque, ſi lex Eccleſiæ non adeſt, ſaltem ſecundum mentem Eccleſiæ agendi. Quæ igitur quæſo difficultates, & ubinam illud inevitabile fallibilitatis periculum? Sufficit profecto Eccleſiæ univerſitati datam eſſe infallibilitatem; veluti etiam,

4. Chriſtus Matth. XVI. v. 18. ait: *Tu es Petrus; & in hanc Petram ædificabo* ECCLESIAM MEAM, *& portæ inferi non prævalebunt adverſus* EAM. Sufficit, ſemper fore, ut portæ inferi non prævaleant adverſus *eam* Eccleſiam, etiamſi in Eccleſia non ſinguli infallibilitatis dono gaudeant. Non ſinguli in Eccleſia, ſed *tota Eccleſia Dei vivi* juxta ſupra citatum Apoſtoli effatum, eſt *columna & firmamentum veritatis*. Non a ſingulis, ſed *ab Eccleſia* jubet *veritatem nos ſumere* Irenæus, *& quiſquis falli metuit*, eum, non ut hunc illumve ſed *Eccleſiam conſulat*, Auguſtinus hortatur. Neque urge: Chriſtum ad ſingulos Apoſtolos hanc infallibilitatis promiſſionem enunciaſſe. Singulis fateor præcipua conceſſa ſunt dona ſed vel ideo, quia ipſi ſpeciatim quædam dona cum Apoſtolico munere non neceſſario connexa data ſunt, veluti donum linguarum aliaque: hæc in dona Epiſcopi prorſus non neceſſario ſuccedunt. Et quod ſi admiſſis etiam ſpecialibus Apoſtolorum donis tibi demonſtrare queo ipſos Apoſtolos ſibi ſingulis non fidiſſe, ſed in rebus fidei diſcernendis ad univerſam recurriſſe Eccleſiam. Quantumvis enim

5. Petrus, ut alii Apoſtoli, indutus fuerat virtute ex alto quantumvis inter alios Apoſtolos Spiritu ſancto repletos primus eminebat; tamen reſtitit ei Paulus, quia Petrus *reprehenſibilis erat* — & quia Paulus vidit, *quod* Petrus *non recte ambularet ad veritatem Evangelii*, ad Gal. II. v. 11. & ſeq. Sic quoque dum *quidam deſcendentes de Judæa docebant, quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari* —— *ſtatuerunt, ut aſcenderet Paulus & Barnabas & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos & Presbyteros in Jeruſalem ſuper hac quæſtione* —— & in Jeruſalem ſubinde IPSI APOSTOLI ET SENIORES *convenerunt videre de verbo hoc: & facta conquiſitio magna*. Ad quid hæc omnia? ad quid conventus iſte, ſi jam ſinguli infallibiles? Sed repones: ad quid induti omnes virtute ex alto? ad quid omnibus inſufflavit Spiritum ſanctum veritatis? Reſponſum ex ipſis recenſitis & inter ſe collatis textibus petitum non deficit. Eadem enim virtus, qua Apoſtoli ſunt induti ex alto, idem veritatis ſpiritus operabatur, ut Paulus veritatem non tacuerit, & Petrus eandem agnoſcens benigne acceperit, ut Apoſtoli ad columnam veritatis ſeu totam Eccleſiam aſcendere non neglexerint, & ita omnis ſciſſio ſit evitata. Atque eadem virtus, idem Spiritus qui ultro & ſpeciatim operatus eſt apud Apoſtolos, etiam apud Epiſcopos, ſi ab iiſdem imploratus fuerit, in dubiis refugium ad Eccleſiam infallibile judicium operabitur, imo idem ſpiritus, ſi quis error ſerpit, operabitur, ut

6. *Eccleſia Dei contra fidem vel bonam vitam nunquam taceat*; Auguſt. Epiſt. 55. *in talibus enim cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas*. S. Cæleſt. P. Epiſt. XXI. §. 2. ad Epiſc. Gall.

An nondum ſatis ſuperque patet, unica Eccleſiæ conceſſa infallibilitate fidelibus ſatis eſſe proſpectum?

§. 141. Quod vero Eccleſiæ in Rebus fidei & moribus ad ſalutem æternam pertinentibus datum eſſe luculenter perſpeximus infallibilitatis privilegium, idem Romano competere Pontifici, neque I. ſufficiens ratio (*a*), neque II. ſacer codex (*b*) aut III. veteris Eccleſiæ diſciplina (*c*) neque IV. doctrina SS. Patrum (*d*) aut V. eorum, qui cum pietate ſinceram conjunxere ſcientiam, & quorum multi ſimul inter præcipuas fidelium gentes præcipui Antiſtites extitere, Virorum teſtimonia, (*e*) ſed omnia hæc potius contrarium in omni negotiorum genere evincunt. (*f*) Queis accedit VI. quod totus adverſariorum de Pontificis infallibilitate conceptus plane infallibilitati adverſetur, & proinde ſuo in partu ſemper ipſum deſtruat (*g*).

(*a*) Oſtendi ſupra præcedente §. unica Eccleſiæ conceſſa infallibilitate eidem ſatis proſpectum eſſe. Et non fruſtra, ut ſtatim advertere poteras, tot tantiſque argumentis oſtendi. His enim penſitatis profecto nullus rationem ſufficientem deprehendet, cur præter infallibilitatem Eccleſiæ inſuper infallibilitas Pontifici adſeri deberet. Sed adde etiam reflexionem hanc, quod pontificiæ infallibilitatis fautores ipſi, ſaltem qui reliquis plus ſapiunt, tum tantum ſententiam Pontificis infallibilem eſſe defendant, quando controverſiis, de quibus agitur, per doctiſſimos theologos ad ſacras illas fidei noſtræ regulas expenſis, adhibito ſacri Romanæ Eccleſiæ Senatus ac vicinorum Antiſtitum conſilio & ſuffragio, fuſis ad Deum publicis precibus, aliquid fidelibus univerſis credendum aut ubique obſervandum proponit, ac præcipit. Ergone eiuſmodi ſententiæ per plures doctos, per plures Antiſtites expendendæ ſunt?

viden,

viden, ut ceſſat ſufficiens infallibilitatis Pontificiæ ratio; ſi enim, ut ejuſmodi ſententiæ per alios expediantur, tempus relinqui debet, nil obſtat, ut a maiore & præcipua parte Rectorum totius Eccleſiæ, ſeu ab Eccleſia infallibili expendantur. Objicies: tantam tamen moram res ſemper non patitur: ſi itaque Pontifex conſultis tantum, quos a latere habet, doctis, conſultis tantum vicinis Epiſcopis infallibilem ferre poteſt ſententiam, eadem utique citius, & hoc ipſo melius Eccleſiæ proſpectum, atque proinde ſufficiens ejuſmodi infallibilitatis ratio erit. Sed cur non plane ſine omni conſultatione doctorum & vicinorum Epiſcoporum, ut citiſſime Eccleſiæ conſulatur, Pontificem infallibilem facis? cur quæſo res fidei & ſummi momenti expendenda moram non pateretur? Genuini fideles, donec ab univerſa Eccleſia infallibile judicium ſequatur, decernenti interea Pontifici, etiamſi non ſit infallibilis, ad evitandum unionis deſerendæ periculum adquieſcent, & a novatorum ſecta deterrebuntur. Quod dum interea ſufficit, non ſufficiens pro infallibilitate Pontificia ratio eſt; Eos autem, qui jam doctrinæ cujuſdam novæ inſuperhabito Pontifice tenaces ſunt, ejuſmodi ſententia Pontificis, ſeu eam fallibilem ſeu infallibilem dicamus, tantum abeſt ut reducat: ut ſubinde adpellatione ad concilium & infallibilem Eccleſiam longiores etiam moras nectendi ſibi ſumant occaſionem. Omnia igitur quæ ob periculum in mora, & ne plures ſeducantur fieri oportet, in eo conſiſtunt, ut irrepente errore illico Pontifex pro ſuo unitatis conſervandæ munere, infallibiles jam antea ab Eccleſia latas ſententias urgeat, aut ſi novitas inaudita ingruit, pro eadem ſua fideles in unitate conſervandi poteſtate, iiſdem normam interim, donec infallibili Eccleſiæ judicio res tota diſcutiatur, ſervandam præcipiat, nec non abſque tergiverſatione diſperſorum Eccleſiæ Rectorum votis explorandis, vel ſi neceſſe eſt, congregando, quam cito fieri poteſt, concilio adlaboret.

(*b*) Accipiemus primum ea ſacræ ſcripturæ loca, in quibus ſtabilitam Pontificis infallibilitatem ſe deprehendere, incaſſum exiſtimant adverſarii. Deinde illa adducemus, vel repetemus potius, quæ ab hac infallibilitate non poſſunt non videri, quam maxime aliena. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Hæc unica apud Matth. XVI. v. 18. allata verba, adverſariorum opinione jam clariſſimum fortiſſimumque pro infallibilitate Pontificis argumentum ſuppeditant. Sed ſi omnes conſulamus S. S. Patres, nulla apud eoſdem adverſariis favens interpretatio hujus textus deprehenditur. Enimvero Patrum nonnulli per *Petram* intelligunt ipſam *fidem*, ſeu *Confeſſionem* quam Petrus de divinitate Chriſti fecerat; veluti Hilarius L. VI. de Trinit. n. 36. 37. Gregorius Nyſſenus in opere de adventu Domini. Chryſoſtomus Homil. 55. in Matth. & Orat. 11. contra Jud. Ambroſius L. IV. in Lucam & in cap. XI. Epiſt. ad Epheſ. Gregor. M. L. IV. Epiſt. 38. edit. nov. Theodoret. Epiſt. 77. pag. 747. Et quidem deſcendentes in hanc ſententiam Patres & antiqui Scriptores ab eruditis numerantur triginta quinque, prætereaque apud Natalem Alexandrum Hiſt. Eccleſ. Tom. VII. pag. 375. edit. Pariſ. Illi Romanorum Pontificum, qui ita ipſi ſenſere, recenſentur. Quos itaque ſi ſequimur, verba Salvatoris *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* ad ipſam fidem & ad Catholicam Eccleſiam, in qua illa prædicatur, referre debebimus. Alii S. S. Patrum per Petram, Chriſtum intelligunt juxta 1. ad Cor. 3. v. 11. ad Epheſ. II. 20. I. B. Petri 3. v. 4. 6. 7. ad Hebr. VI. 1. quos inter præcipuus eſt S. Auguſtinus Tract. 124. in Joan. Adde Hieronym. in cap. 7. S. Matthæi, Theodoret. ſuper cap. 3. Epiſt. 1. ad Corinth. Ad quorum imitationem Seculo XII. venerabilis Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis ſerm. 4. in Dominic. Palmarum op. pag. 374. edit. a. 1708. *Eccleſia inexpugnabilis eſt & invincibilis, quia firmamentis eſt munita. Fundamentum enim tenet in Petra id eſt in Chriſto. Petra enim erat Chriſtus. Unde ad Petrum Dominus ait:* ET EGO DICO TIBI, QUIA TU ES PETRUS *a me Petra ita dictus, & ſuper hanc petram, a qua tu diceris Petrus, ædificabo Eccleſiam meam*. Denique communior Patrum & Sacrorum interpretum ſententia eſt eorum, qui docent: & Petrum nomine omnium Apoſtolorum divinitatem Chriſti eſſe confeſſum, & verba Salvatoris ad Petrum tanquam reliquos Apoſtolos & Eccleſiæ Rectores ſignificantem fuiſſe prolata, uti patet ex iis, quæ ſupra de poteſtate Apoſtolorum & Epiſcoporum æquali dicebamus. Vide Cauſ. XXIV. quæſt. 1. can. 6. & 18. & diſt. XXI. can. 2. quantumvis ſit fragmentum ex mercibus Iſidori. Conſ. quoque Hincmari Ep. 33. ad Hincmar. Laudun. cap. 20. Odo Cluniacenſis L. IV. collat. cap. 19. Petrus Bleſenſis ſerm. 44. Cardinalis Caietanus Tract. de Authorit. Papæ & Conciliorum cap. 3. eandem interpretationem amplexi, atque dicatur adverſariis ex Boſſueti defenſ. declarat. Cleri Gall. L. XV. cap. 34. *ſi qui autem interpretes illud:* PORTÆ INFERI *non prævalebunt adverſus eam, ad Petrum quoque referunt, ii quidem pauci ſunt, ac pro uno mille in contrarium recenſere poſſumus*. Corruit itaque etiam omnis ad allatum textum adplicata philoſophia adverſariorum, dicentium: veluti in caſſum ſperatur firmitas ædificii, ſi non firmum ſit ejuſdem fundamentum, & veluti citius futurum eſt, ut corruat ædificium quam fundamentum, maxime ſi hoc Petra ſit

ita

ita S. Petto & cuivis ejus ſucceſſori tanquam Eccleſiæ perpetuo duraturæ fundamento eminenter firmitatem ſeu infallibilitatem non poſſe non obtigiſſe. Etenim ob teſtimonium Hieronymi, *quod dum ſuper Petrum fundatur Eccleſia, hoc ipſum alio in loco ſuper* OMNES APOSTOLOS *fiat, & CUNCTI claves Regni Cœlorum accipiant, & ex* ÆQUO *ſuper eos Eccleſiæ fortitudo* SOLIDATUR & ob teſtimonia tot alia S. S. Patrum ſuperius (§. 133. a nobis recenſita nunquam dabimus: Petrum ſolum eſſe Eccleſiæ fundamentum. Agnoſcimus quidem eum in hoc fundamento *Primum*. Verum ſufficitne ædificio ſi primus fundamenti lapis non ruat, etiamſi penes poſiti ruant omnes? Quid quod tota paritas inter Petrum ceu fundamentum Eccleſiæ, & fundamentum ædificii materialis accepta ad firmitatem noſtræ Eccleſiæ commonſtrandam non conferat. Enimvero ut ædificium firmum & immobile ſit, non tantum firmitas fundamenti, ſed ea quoque inter fundamentum & ædificium conglutinatio requiritur, ut omnis partium diſſolutio ſit præcauta. Et ſane de ejuſmodi ædificio firmitas laudari non poſſet, cujus quidem fundamentum eſſet firmum, ſuperſtructa autem moles male ordinata, lapidibus angularibus deſtituta, atque ruinæ expoſita. Alio igitur longe modo divina providentia firmitatem noſtræ Eccleſiæ, videlicet in toto cætu Rectorum Eccleſiæ ita ſtabilivit, ut ad rumpendam ejuſdem compagem portæ inferi non ſint prævalituræ, vide Gregor. Zallwein Tom. I. quæſt. 4. cap. 2. §. 4. Tranſactione opinor rem omnem melius compoſitam iri. Cedam ego cum Alexandro Natali: *infallibilitatem Pontifici, ſi cum tota conſentit Eccleſia*. Tu igitur viciſſim cede: *Pontificem non ſingulari* extra hunc caſum: *infallibilitate præditum eſſe*. Profecto ita ſecundum mentem ſcripturæ, aç interpretationem SS. P. P. in Petro non quidem ſolo, ſed in Petro una cum reliquis Eccleſiæ Rectoribus ſufficiens Eccleſiæ noſtræ fundamentum, quod nunquam ruet, ſeu ſufficientem Pontificis cum tota Eccleſia conſentientis infallibilitatem amico & communi ſenſu defendemus. Novi, quid porro adverſarios moretur, ne tranſactionem hanc ineant. Turbat eos ille, qui apud Luc. XX. v. 32. refertur his verbis textus: *Ego autem rogavi pro te*, ut non deficiat fides tua. Verum legerent tantummodo *Cyprianum* Epiſt. 8. & in L. de orat. dom. *S. Hilarium* L. I. de Trinit. *S. Baſilium* Hom. 22. de humilitate. *S. Chryſoſtomum* Homilia 63. & 8. in Matth. *S. Ambroſium* in Pſ. 43. *S. Auguſtinum* Epiſt. 252. item lib. de corrept. & gratia cap. 6. 8. & 12. *Cyrillum Alexandrinum* L. XI. in Joan. *S. Leonem* ſerm. 2. in Natal. Apoſt. Ven. *Beda* in cap. 22. Luc. alioſque, priuſquam noſtram ſententiam proclament novam. Hos ſi legerent, non ſane de infallibilitate Pontificis, ſed hanc deprehenderent interpretationem: *Chriſtum oraſſe pro S. Petri perſeverantia finali in fide & gratia, ne ſcilicet paſſionis tempore tentationi ſuccumberet, & ut fide in ipſo etiam caſu ſervata cito reſurgeret, cæteroſque Apoſtolos in fide confirmaret*. Quid ergo ex hoc perſonali privilegio Petri pro reliquis Pontificibus eruent, & quid eruent de infallibilitate, de qua ibi non habetur ſermo? Conſervat profecto Deus adhucdum plures, quod & nos ſperamus, in fide & gratia; ſed num ii, quorum fides per Dei gratiam uſque ad ultimum vitæ ſpiritum non deficit, propterea infallibiles dici poſſunt? Conf. Boſſuet defenſ. declar. Gallic. L. I. cap. 7. L. III. cap. 10. L. XV. cap. 3. ſeq. Advertimus quidem ex Sacris litteris B. Petro in prædicando Evangelio peculiarem Spiritus Sancti adſiſtentiam, peculiaria ejuſdem Spiritus dona obtigiſſe. Sed advertimus quoque, ejuſmodi peculiaria dona ab eodem Spiritu non minus in Apoſtolos reliquos, utpote ſupra quorum ſingulos ſedit, eſſe effuſa. Et quemadmodum novimus, modernos Epiſcopos non in cuncta illa, quæ præcipua primis Apoſtolis adtributa ſunt, neceſſario ſuccedere, ita neque Pontifici in omnibus, quæ peculiariter Petro obvenere, neceſſariam eſſe ſucceſſionem noſſe debemus. Neque autem Chriſtus Petrum, licet Primatem, Joan. XIV. v. 16. 25. 26. & XVI. v. 13. a reliquis Apoſtolis infallibilitate diſtinxit. Non enim ibi ad ſolum Petrum ſed ad univerſum Apoſtolorum cœtum edixit: *ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit* VOBIS &c. *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille* Vos *docebit* &c. *Ille ſpiritus veritatis docebit* vos *omnem veritatem*. Imo in eodem B. Petro, cujus tanquam *Apoſtoli* Evangelium ad Judæos prædicantis vocem infallibili ſpiritu plenam ſtupemus. Act. Ap. II. 14. quando eum inter reliquos Apoſtolos verſari intuemur, nullas omnino ei tanquam Primati peculiariter conceſſæ infallibilitatis notas deprehendimus. Enimvero ſi Petrus, ut Primas, infallibilis fuerat, cur orta illa de circumciſione controverſia, aſcenderunt Paulus & Barnabas *non ad Petrum ſolum, ſed ad Apoſtolos & ſeniores*? cur iſti convenire debuerant *videre de verbo hoc*? cur facta *conquiſitio magna*, & demum ſententia lata NON verbis his: *viſum eſt Spiritui Sancto & Petro*, SED *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*. Act. XV. Compellavit Paulus *Eccleſiam Columnam & firmamentum veritatis* 1. ad Tim. III. 15. *Petro autem reſtitit in faciem coram omnibus, quando vidit, quod non recte ambulet ad veritatem Evangelii*, videlicet, quia Petrus non tantum *reprehenſibilis* erat quoad actiones proprias (ma-

net

Digitized by Google

net enim Pontifex obtutu ſuarum actionum uſque homo, atque labi poteſt, etſi in norma aliis proponenda infallibilis eſſet) ſed quia *gentes judaizare cogere volebat*, ad Gal. II. 11. & ſequ. quapropter etiam D. Auguſtinus ad hoc ſimul, ſimulque ad primatum reflectens ait: *In ſcripturis ſanctis diſcimus Apoſtolum* PETRUM, *in quo* PRIMATUS APOSTOLORUM *tam excellenti gratia præeminet*, ALITER QUAM VERITAS *poſtulabat*, *de circumciſione agere ſolitum*. L. II. de baptiſm. n. 2. Hæc ſane ſunt illa ſcripturæ loca, quæ ideo repetenda eſſe duxi, quia a ſingulari infallibilitate, Petro qua Primati conceſſa, non videri non poſſunt quam maxime aliena.

(*c*) Eſt nobis argumento illuſtris illa de rebaptizandis hæreticis controverſia, quam inter Cyprianum & Stephanum I. Pontificem acriter agitatam eſſe nos hiſtoria Eccleſiaſtica docet. Quantumvis nempe Pontifex hanc de rebaptizandis hæreticis doctrinam damnaſſet, ab eadem tamen Cyprianus non receſſit. Putaſne futurum fuiſſe, ut ſi Pontificis ſententiam omnis vetus Eccleſia *infallibilem* æſtimaſſet, unus Cyprianus, vir ſanctiſſimus doctiſſimuſque reſiſteret? Debuiſſet ſane ſtante Pontificia infallibilitate illico omnis finita eſſe dubitatio, neque qui diverſa ſenſerunt, in unitate manſiſſent. Sed percipe AUGUSTINUM: *fuit aliquando de Baptiſmo dubitatio*: QUI DIVERSA SENSERUNT, IN UNITATE MANSERUNT. *Ea dubitatio precedente tempore* (plenario concilio) *ſublata eſt. Quæſtio, quæ tum* NONDUM FINITA *Cyprianum non deterruit, ut recederet, vos finita, ut recedatis, invitat*. Et porro: *Noluit vir graviſſimus Cyprianus rationes ſuas, etſi non veras, (quod eum latebat) ſed tamen non fictas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere*: porro *Neque nos tale aliquid auderemus aſſerere, quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima authoritate firmati: cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium concilium ſolidaretur*. L. I. de Bapt. cap. 7. L. II. cap. 4. cap. 8. L. IV. cap. 6. Et inſpice ipſius Bellarmini L. IV. de Rom. Pont. cap. 7. opp. Tom. I. col. 817. lit. c. Edit. col. ubi docet: S. Cyprianum Stephano Papæ, qui quidem vera bonaque ordinaverat, propter repugnans dictamen conſcientiæ obedire non debuiſſe. Plura vetuſtatis exempla ſuppeditant Boſſuet in def. declar. Cler. Gall. L. XIV. & Natalis Alexander hiſt. Eccl. diſs. IV. ad ſec. XV. Quæ propiori ad nos ævo ipſe agnovit Pontifex, dum nempe Concilio Conſtantienſi non obſtitit, quo minus declararetur: Papam ſubjici concilio generali in *materia fidei*, ſed duntaxat, ne declaretur ſubjacere quoad ea, quæ reformationem concernunt, veluti etiam in Bulla Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus officio*, quantumvis in ea dicatur Pontificem a nemine in mundo judicandum eſſe, tamen admittitur: *poſſe eum, ſi deprehendatur* A FIDE DEVIUS *redargui*. Quemadmodum etiam Innocentius III. Serm. 2. de conſecrat. pontif. ſcribit. *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, ut cum de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fidem committitur, poſſim ab Eccleſia judicari*. Atque in cauſa XXV. Quæſt. I. Can. 6. Urbanus Pontifex ait: *ſi quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere*, QUOD ABSIT, *niteretur* (Pontifex Romanus) *non ſententiam dare ſed magis* ERRARE *convinceretur*. Conf. Can. 7. diſt. 19. Can. 1. diſt. 31. Can. 6. diſt. 40. Cauſ. II. quæſt. 7. Canon. 57. Ex quibus omnibus ſimul duo intelliguntur, I. quomodo ad Exemplum Cypriani & tot aliorum Sanctiſſimorum virorum conſiſtere poſſint: ſententiam Romani Pontificis non ſequi, & tamen ab unitate non recedere. II. quomodo ſumendum ſit illud: uſque ad ſecutam Eccleſiæ deciſionem *interim* a quovis Epiſcopo adquieſci debere ſententiæ Romani Pontificis, videlicet, ita, ut propterea & nunquam ab unione ſe ſeparet, & nec etiam ipſi reſiſtat ſententiæ, ſi non graviſſimas adverſus eam habeat rationes, qui ipſum ita excuſarent, uti Cyprianus teſtante Auguſtino & Bellarmino fuerat excuſatus, aut niſi aperte definitis Eccleſiæ dogmatibus illam ſententiam contrariam, vel in diſciplinaribus commiſſo ſibi gregi & bonæ diſciplinæ non convenientem demonſtrare queat. Quo ſcilicet unico in caſu reſiſtentia cum unitate perſiſtens eſſet legitima. Conferantur Joannes Cardinalis de Turrecremata in ſumma de Eccleſia L. II. cap. 106. Silveſter Prieras Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Magiſter in ſumma verbo *Papa*, Cardinalis Jacobatius L. VIII. de Conciliis art. 3. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus Tract. I. de Aut. Papæ & Concilii cap. 27. Franciſcus Victoria Ordinis F. F. Prædicatorum in Salmanticenſi primarius Profeſſor & Doctor Theologiæ, Relect. IV.

(*d*) Præter ea, quæ ſupra not. b. ſub finem ex Auguſtini L. II. de baptiſ. retulimus, idem ait: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Roma judicarunt*, NON BONOS *fuiſſe* JUDICES, *reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Univerſæ concilium, ubi cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari*, UT SI MALE JUDICASSE CONVICTI ESSENT, EORUM SENTENTIÆ SOLVERENTUR. Epiſt. 162. Atque ſine ulla exceptione S. Chryſoſtomus in Matth. Hom. 43. ita eloquitur: *Videte quomodo ſedetis ſuper Cathedram, quia non Cathedra facit ſacerdotem, ſed ſacerdos Cathedram, non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum.*

(*e*) Profecto *Gerſon* Pariſienſis univerſitatis

Can-

Cancellarius; *Toſtatus* ob eruditionem *ſtupor mundi* dictus; *Dionyſius Carthuſianus*; *Petrus de Alliaco* Cardinalis; *Almainus*; Adrianus VI. P. *Claudius Santeſius* Tridentini concilii theologus; & *Boſſuetus* Epiſcopus Meldenſis cum tota Eccleſia Gallicana, etſi deeſſent tot alii, jam opinor ſufficerent. Idem, quod Eccleſia Gallicana pridem per piiſſimos doctiſſimosque ſuos antiſtites defendebat, jam abæque doctis piiſque Epiſcopis Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Italiæ, in qua nec ipſum Romanum ſtatum excipere poteris, porro Germaniæ, Hungariæ aliarumque Europæ plagarum, paucis! ab omni orbe, qui Catholicus ſimulque eruditus eſt, cordıte defendebatur. Advertit nempe eruditus quiſque: Galliæ Antiſtites, reliquosque illos præcipuos ſententiæ noſtræ defenſores eſſe ejuſmodi, ut veluti Religione & moribus nulli cedunt, ita profunditate ſcientiæ, ſinceritate doctrinæ & quæ hac in parte plurimum faciunt, Antiquitatum Eccleſiaſticarum notitia adverſariis ſuis palmam præripuerint. Advertit quiſque, illuſtres hos viros non diſputationibus ſcholaſticis, ſed ſolidis graviſſimiſque argumentis certare; de quo ipſe Cardinalis Orſi, ferventiſſimus inter ſcriptores adverſos declarat: Cleri Gallicani de a. 1682. & ejuſdem defenſoris Boſſueti opus, in præfatione primi Tomi hiſce ſcribit verbis. *Ipſe & Romæ & alibi plures audivi, nec malos nec indoctos aut imperitos, qui Boſſuetiano opere pervoluto nec indiligenter, ut eis videbatur, expenſo, cauſam hanc non ultra a Romanis Theologis ſuſtinendam, ſed veluti conclamatam & deploratam, dimittendam eſſe cenſerent. Nihil eſſe quod perſpicuæ veritati objici poſſit, nec unquam Scholaſticis ſubtilitatibus aut diſtinctiunculis retundendam aut hebetandam aciem argumentorum, quæ clariſſimus adverſarius eduxerat. Non enim, ut in ſcholaſtica diſputatione fieri ſolet, unum aut alterum locum ab eo produci, unde ſuas ipſe concluſiones eliciat; quas ope dialecticæ artis eludere, aut aliis objectis locis obruere, arduum non eſt; ſed omnibus Eccleſiæ Seculis decurſis, omnium Conciliorum actis evolutis omnium celebriorum controverſiarum hiſtoria clare lucideque contexta, demonſtratum ab eo eſſe, omnia, quæ ad ſummam adtinent, coaleſcere, & uni omnino formæ reſpondere, quam Gallicani Epiſcopi edita declaratione informarunt &c.*

(*ſ*) *De negotiis privatis* alioquin quæſtio moveri non poteſt. Præterquam enim: quod illæ frequentes Romam ſuſceptæ adpellationes cum Iſidorianis ſeculis diſparuere, etiam circa ea privata negotia perſonaſque, quæ Pontificis adhuc judicio ſubſunt, ejuſdem infallibilitati nihil patrocinatur. Falſis teſtimoniis, ſiniſtra informatione, confictis inſtrumentis facile ad ſe-rendam quam ſiniſtram ſententiam induci poteſt. *Negotia publica* autem, ſeu ad univerſam Eccleſiam ſpectantia, ſunt vel talia *immediate*, vel per *conſequentiam*, in quibus videlicet privata hujus alteriuſve cauſa deciſa ſubinde ad univerſam Eccleſiam refertur, cujuſmodi eſt canonizatio Sanctorum. In illis ſeu *diſciplinaria* ſint, ſeu etiam *dogmatica*, quibus Eccleſiæ conſenſus nondum acceſſit, nullam Pontificiæ infallibilitatis neceſſitatem, nullum pro ea argumentum ſolidum deprehendi; hactenus demonſtrata nos docuerunt. Multo minus igitur Pontifex in negotiis tanquam per conſequentiam publicis infallibilis defendi poterit. Abſit a nobis I. ut *cultum ſanctorum improbemus*. Adhæremus enim firmiſſime Concil. Trident. Seſſ. XXV. de invocat. & vener. & Reliq. ſanctor. & ſacr. imag. atque profitemur potius palam cum Muratorio: quod *non ſolum pium ac laudabile ſit hujuſmodi ſanctos invocare, & ſibi adſciſcere patronos apud Deum, ſed etiam impietatem ſapiat eorum cultum improbare, atque contemnere*. Abſit a nobis II. ut *explodamus illos, qui rite cælitum Catalogo adſcripti ſunt, & in is canonizandis Eccleſiam aut Pontificem* REIPSA ERRASSE *dicamus*. Quin imo ejuſmodi quid attentatum *a ſuſpicione Hæreſis non abeſſe, atque intollerandam & pœnis dignam temeritatem ac impudentiam præſeferre*, cum eodem Muratorio adſerimus. Quemadmodum autem & vir ille inſignis & tot alii Theologi æque, ac Juris ſacri interpretes celeberrimi ſine diſſimulatione edixerunt: Papam, imo & concilium generale in canonizationis negotio non præditum eſſe infallibilitate; ita & nos iiſdem graviſſimis ducti motivis, & fide noſtra præmiſſis duabus *proteſtationibus* in tuto collocata, ad eandem ſententiam defendendam non hæſitamus. Etenim

1. Canonizatio eſt Pontificis, vel Eccleſiæ judicium de ſanctitate hominis cujuſdam ex ſincera morum probitate, infucato virtutum exercitio, aliiſque actionibus externis innocentiam vitæ internam præ ſe ferentibus, nec non miraculis ab eo in vita vel poſt mortem patratis deductum. Sed hæc ipſa omnia teſtibus, inſtrumentis, aliiſque humanis argumentis, quæ fallere poſſunt, nituntur, ergo proceſſu quantumvis adcurate inſtituto errandi periculum penitus abeſſe profecto dici nequit.

2. Neque ſcriptum neque traditum legimus, quod cujuslibet hominis fidelis in Domino mortui ſanctitas objectum revelationis divinæ conſtituat. Sane *nullum talium miraculorum poſt tempora Apoſtolorum eſt revelatum in verbo Dei, proinde nullum eſt de fide divina. Quomodo ergo canonizatio ex illis facta, ſeu judicium Eccleſiæ, quod ſint facti, fide divina credendum? Nulla ergo Bulla canoniza-*

Digitized by Google

tionis, quæ fere omnes ſunt Romanorum Pontificum, & continent quæſtionem ſeu doctrinam facti, ſcilicet hunc vel illum eſſe ſanctum, facient rem de fide. FRANC. VERONIUS in ſua regula fidei, quæ utiliſſima pro convertendis hæreticis probata eſt.

3. Sequeretur *novas revelationes, nova de factis dogmata in Eccleſiam induci.* MURAT. de Ingen. mod. in Relig. negot. C. XVII.

4. *Non omnem veritatem a divino Spiritu nobis revelandam ex omnium interpretatione perſpectum eſt, ſed omnem tantummodo veritatem, quæ ad ſalutem hominum, & ad veræ fidei, atque Eccleſiæ Catholicæ integritatem conſervationemque neceſſaria ſit. Quomodo vero dicemus, neceſſarium hominibus fidei & Eccleſiæ eſſe cultum novi alicujus Sancti fidemque de illius beatitate cœleſti? utile eſt, non neceſſarium iſta habere, iſta ſcire. Murat.* loc. cit.

5. Ipſa proteſtatio Pontificum canonizationi præmitti ſolita prodit errandi poſſibilitatem. Ajunt enim: *antequam ad pronunciationem veniamus, proteſtamur publice apud vos omnes præſentes, quod per hunc actum canonizationis non intendamus aliquid facere, quod ſit contra fidem aut Catholicam Eccleſiam, ſeu honorem Dei.* Id quod adducit *Van-Eſpen* Tom. 3. p. 574. ex CHRIST. LUPI Tom. III. ſchol. in can. pag. 574. qui idem Chriſt. Lupus L. eodem *de relatione in Martyrologium & breviarium Romanum* ait: *Errari hic poſſe docet nupera Martyrologii Romani purgatio — eademque eſt ratio de inſertione in Romanum Breviarium.*

6. Ejuſdem opinionis eſt GLOSSA ad cap. un. h. T. in 6. adjecta.

* Nil igitur adſerui, quod non Chriſt. Lupus, Veronius, Van-Eſpen, Muratorius, Cajetanus doctiſſimus theologus, Covarruvias, ipſi Pontifices, ipſa Gloſſa & cl. noſter de Riegger Inſt. Eccl. P. I. §. 382. & P. III. §. 857. ſalvo Sanctorum cultu confeſſi ſunt. Recepto, quod ſalvus ſanctorum cultus ſit. An non enim, etſi certitudinem non habeamus, ſi tamen pro qua parte probabiliora ſtent argumenta, ad eandem partem inclinandi obligatione tenemur? An non igitur dum pro cujuſdam canonizati beatitate ob illud, quod præmitti ſolet, accuratum exactumque examen majora militant motiva, ad eundem talem æſtimandum tamdiu obligabimur, quamdiu non contrarium fortiori poterit evinci probatione? fidelibus ſane jam primis Eccleſiæ ſeculis illos qui ſanctitatis & miraculorum fama inſignes deceſſerunt, cultu publico venerandi licentia *Epiſcoporum auctoritate* concedebatur, etſi ſolemnis canonizatio demum Sec. XII. ab *Eugenio* III. qui Henricum Imp. Sanctorum Albo adſcripſit, introducta, & reſervatio cujuſcunque canonizationis demum ſub Alexandro III. Romanæ Eccleſiæ adquiſita fuerit. Obſervat quidem Benedictus XIV. in op. de ſerv. Dei Beatif. & Beat. canoniz. nonnullas canonizationes etiam poſtea ab Epiſcopis factas, fuiſſe toleratas, & quodammodo adprobatas, ſi centenaria non deeſſet præſcriptio. Omnis tamen hac in parte Authoritas Epiſcopis adempta eſt per conſtitutionem Urbani VIII. an. 1634.

(*g*) Superſtruunt enim Pontificis infallibilitatem *elocutioni ex Cathedra*; quando autem Pontifex loqui ex Cathedra dici poſſit, horrendum in modum diſputant, atque certi quid demonſtrare neſciunt. Quomodo igitur non ille conceptus ſemetipſum deſtruit, dum de infallibilitate Pontificis ex Cathedra loquentis nos certos eſſe volunt: de elocutione autem ex Cathedra nos certos reddere nequeunt. Quid quæſo nobis tota infallibilitas Pontificia prodeſt, ſi, quando Pontifex infallibilis, nunquam certum perſpectumque habemus: Quid prodeſt cum Cardinale Orſi in extorquendam hac parte probabilitatem conari, dum parte altera graviſſimorum argumentorum pondus obſiſtit & dum idem Eminentiſſimus in citata Præfatione fatetur. *Non probabiliter, ſed certo conſtare debet, eſſe Petri ſucceſſores ad fidei controverſias dirimendas præditos auctoritate, ut eorum decreta veluti Spiritus ſancti oracula, ac veluti certas & irretractabiles fidei Catholicæ regulas excipiamus.* Profecto ut ait Boſſuet in def. Cleri Gallic. L. XV. cap. 36. *Non ratiociniis aut votis duci nos, ſed certis promiſſis, certaque traditione niti oportet: ac ſi vovere, aut potius ſomniare placet, certe expetemus homines, ut Romanus Pontifex tanti Gregis ductor, non modo nullo errore, ſed etiam nullo unquam peccato, nulla ignorantia, aut negligentia aut cupiditate teneatur. Quod cur Chriſtus non fecerit, ne quæri quidem fas eſt.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Oecumenicis Eccleſiæ Conciliis, eorumque authoritate.

§. 143. Concilium generatim ſumptum denotat, *cœtum plurium perſonarum ad cauſas dubias pravia deliberatione definiendas congregatum*, ſpeciatim itaque concilium Eccleſiaſticum recte definitur, quod ſit: *conventus perſonarum Eccleſiaſticarum ad negotia Eccleſiæ collatis ſuffragiis definienda conſtitutus*.

§. 144. Quemadmodum vero ejuſmodi conventus, *a Prælatis ex univerſo orbe Chriſtiano* legitime congregatis, & Pontifice vel per ſe vel per alios præſidente, aut a Metropolitis, & Epiſcopis *cujuſdam nationis* præſidente Patriarcha vel Primate; aut ab Epiſcopis *cujuſdam provinciæ* præſidente Metropolita; aut a clero *cujuſdam Diœceſis* præſidente Epiſcopo celebrari queunt, ita quoque concilia Eccleſiaſtica aut *œcumenica*, aut *nationalia*, aut *provincialia*, aut *Diœceſana* ſunt (*a*).

(*a*) Oecumenica etiam *Generalia*, reliqua *particularia* compellantur, quamquam ſubinde etiam concilia integræ alicujus nationis improprie generalia audiant; œcumenica tam Orientis quam Occidentis in T. I. in Tabulis VII. & VIII. exhibui.

§. 145. Aliud porro conciliorum diſcrimen inde venit; quod alia, tanquam illegitima ab Eccleſia ſint *reprobata*, *adprobata* alia; quorum denuo quædam *omnino*, quædam vero *tantum ex parte* adprobata ſunt. (*a*)

(*a*) Intereſt, ut præcipua ſaltem reprobatorum cognita habeas, qualia ſunt
Cæſareenſe, Syricum, Hieroſolymitanum, de quibus vide Cabaſſutium Not. Eccl. ſect. p. m. 125.
Mediolanenſe celebratum Juſſu Conſtantii Imp. a. 355
Sirmienſe a. 367.
Ariminenſe a. 359.
Epheſinum II.
Conſtantinopolitanum Pſeudoſeptimum a. 754.
&c. &c.

§. 146. Neceſſitatem Conciliorum jam Apoſtoli perſpexere (*a*) Et quam ægre dein Chriſtiani ejuſmodi conventuum celebrationem tempore perſecutionum intermittere debebant, tam ferventer habebantur tempore Principum Chriſtianorum (*b*) atque a S. S. Patribus (*c*) & omnibus Eccleſiæ conſulentibus (*d*) utiliſſimi agnoſcebantur (*e*).

(*a*) Act. I. 15. Act. VI. 1. Act. 5.

(*b*) Conf. Euſeb. in vita Conſtantini L. R cap. 51.

(*c*) Quemadmodum Moſes ſibi ſapientes in Concilium elegit, Exod. XVIII. 18. Deut. I. 21. ita S. Aug. Ep. 148. ubi *multa Concilia* ibi *ſalutem* eſſe profitebatur.

(*d*) Conf. Concil. Conſtant. Seſſ. 39. Martene & Durand collectiones ampliſſ. Tom. VII. in Præfat n. 2. Patrum Concil. Baſileens. Epiſt. ad Eugen. P. apud Harduin. Tom. 8. col. 1341. 1354. Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis in Canonibus reformandi Eccleſiam Kal. Nov. an. 1416. in Concil. Coſtantienſi oblatis cap. 1. apud Hermannum Van der Hart. Act. Concil. Conſtant. Tom. I. Part. 8. pag. 412. Gerardus Landrianus Laudenſis Epiſcopus, a Patribus Concilii Baſileenſis ad Henricum Angliæ Regem miſſus de neceſſitate habendæ Synodi apud Raynaldum continuat. Annal. Eccleſ. ad an. 1232. n. 7. Andreas Epiſcopus Nagorenſis Hiſpanus, in Concilio Conſtantienſi Orator in tractatu, quem inſcripſit *Gubernaculum Conciliorum* Part. III. in Act. Concil. Conſtant. Tom. IV. Part. 4. pag. 170. & 172. Cardinalis Monilianus in cap. XIV. Compendii Inſtitutionum Theologicarum, quæ adprobatæ ſunt ab ipſo Pio V. cum is ſub nomine Michaelis Cardinalis Alexandrini Officio Magiſtri Sacri Palatii fungeretur. Contenta in hiſce omnibus loca, quæ in rem noſtram faciunt, quantumvis ſint celebrium Catholicorum & Sacrorum Antiſtitum, quantumvis palam proſtent, & inter acta Conciliorum inveniantur, magis quam citandi, quam de verbo ad verbum recenſendi rationem habeo; ſcilicet ob anguſtias

præfixi Syſtematis. Ceterum de verbo ad verbum legi omnino merentur. Quod ſi œcumenica Concilia celebrare non expedit; quam utilia ſint Concilia nationalia, exemplis probat Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag. 198. ſequ. Edit. Paris. Conf. etiam Berthier *Continuation.* de l' Hiſtoire de l' Egliſe Gallicane Tom. XV. pag. 5. ſeq. & pag. 260.

(*e*) Jam ipſe Plato conſultationem quid *ſacrum* Ariſtoteles quid *divinum* apellavit. L. Polit. III. 4.

§. 147. Ex demonſtrato illo axiomate (§. 131) quod Eccleſiæ nomine quoad ſacrum Regimen ii, qui *a ſpiritu ſancto regere* poſiti ſunt, intelligi debeant, ſi id ad concilia adplicetur, ſponte ſua profluit, I. Concilium Oecumenicum, quod non alii proprie, quam univerſæ Eccleſiæ Rectores conſtituunt (*a*) univerſam repræſentare Eccleſiam (*b*) II. Ad ejuſmodi concilium quidem Epiſcopos omnes (*c*) minime autem III. omnes fideles vocandos eſſe (*d*).

(*a*) Quod enim ſæpe ad concilia alii, quam Epiſcopi admittantur, hoc ex inſtitutione Eccleſiaſtica, non divina eſt, atque exinde non ſequitur, concilium non ab Eccleſiæ Rectoribus conſtitui. Admittuntur enim

1. Quidam non Epiſcopi, ſed tamen tanquam Epiſcoporum abſentium procuratores, qui itaque non qua Clerici ſecundi ordinis, ſed nomine ſuorum Principalium *votum deciſivum* ferunt.

2. Quidam non Epiſcopi, ſed tamen juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, veluti quidam Cardinales, Abbates, Generales ordinum &c. Qui quamvis a Spiritu Sancto ſeu ex inſtitutione divina ad regendum & votum deciſivum jus non habent, id tamen ab ipſa Eccleſia acquiſiverunt. Atque dum Eccleſiæ Rectorum cœtus in rebus fidei & morum ad ſalutem æternam neceſſariorum infallibilis eſt, num in his per vota ejuſmodi quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentium falli poterit, & an non etiam in permittendo his votis valore, in ipſo ad hæc vota acceſſu infallibilis erit?

3. Quidam non Epiſcopi, ſed tamen conſulendi cauſa, tanquam eruditione & ſapientia celebres, quorum adeoque conſilia non virtute ſua legem faciunt, ſed per conſenſum Rectorum Eccleſiæ in horum eorundem deciſiones abeunt, & qua tales vim obligandi nanciſcuntur..

4. Quidam non Epiſcopi & plane laici, qui ex parte politica & nomine Principum adſunt, pariter non decidendi ſed inſpiciendi cauſa, ne ſub prætextu Religionis quid nocivum rebus publicis ſtatuatur, quod utique, ſicuti ſupra demonſtravimus, etiam ſtante in dogmaticis Eccleſiæ infallibilitate in rebus ad fidem non pertinentibus contingere poſſet.

Manifeſtum eſt igitur, ipſum *decidens* concilium ſemper tantum a Rectoribus Eccleſiæ conſtitui.

(*b*) Dum enim quoad ſacrum Regimen Eccleſiæ nomine Rectores ejuſdem veniunt, & in concilio Oecumenico totius Eccleſiæ Rectorum cœtus ſaltem quoad partem maximam, cui pars minor ſecundum naturalem normam conſentire debet, congregatur, legitimo ſane ratiocinio non deduci non poteſt: concilium Oecumenicum repræſentare univerſam Eccleſiam. Anne enim Rectores Eccleſiæ non iidem ſunt in concilio, quales ſunt extra illud? anne igitur ratio eſt, ut ab iis Eccleſiam quidem extra concilium, non autem in concilio conſtitui dicamus? Quam optime igitur Act. Ap. XV. v. 22. dicitur: *Tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia*, quantumvis illi conventui non tantum non omnes fideles, ſed nequidem omnes Apoſtoli interfuere. Quam optima Synodi Conſtantienſis hæc formula, *Sacroſancta Synodus Eccleſiam univerſalem repræſentans*: in præf. apud Harduin. Tom. VIII. Col. 110. conf. Can. II. Diſt. XV. & Can. I. cauſ. XXV. Q. I.

(*c*) Regiminis Eccleſiaſtici cauſa habentur concilia, ergo omnes omnino, *qui regere a Spiritu ſancto poſiti ſunt*, ad ea jure, quod eis demi nequit, divino gaudent, ergo omnes omnino vocandi, niſi inter id tempus, intra quod celebrationem concilii neceſſitas urget, adventus quorumdam Epiſcoporum impoſſibilis, & proinde etiam vocatus inutilis eſſet.

(*d*) Veluti fideles omnes non extra concilium, ita nec in illo ad Regimen Eccleſiaſticum concurrunt.

§. 148. Porro intelligitur facile IV. competere quidem Romano Pontifici propter Primatum honoris & juriſdictionis Jus etiam œcumenica concilia convocandi, & in iiſdem præſidendi vel per ſe vel per legatos ſuos: imo ſuffragium primum enunciandi (*a*); attamen V. hoc non obſtante Epiſcopos gaudere jure voti deciſivi, ſuffragandi libertate (*b*) adeo, ut VI. majora præſentium Eccleſiæ Rectorum vota concludant (*c*), etiamſi VII. requiſita confirmatio Pontificis ab eodem denegaretur (*d*).

(*a*) Pon-

Digitized by Google

(*a*) Pontifex inter Eccleſiæ Rectores Primatum honoris & juriſdictionis extra concilium habet: ergo eundem Primatum in conciliis, quæ unitatis conſervandæ cauſa celebrantur, vel maxime retinebit. Conf. Act. XV. 7. propterea autem, quod præ aliis etiam hic honore gaudeat, & æqualem cum reliquis juriſdictionem etiam hic primus exercere queat, non ſequitur, ut ſi Pontifex non adſit, aut dubius ſit vel hæreticus, aut ſua honoris & juriſdictionis prærogativa uti nolit, Epiſcopi ſponte convenire, aut, ut ſupra oſtendimus, a Principibus convocari nequeant: vid. Thomaſin. Diſſ. III. ad concil. Nicæn. Hinc fallitur P. Franciſcus Zech. in Præcogn. Jur. Can. Tit. 11. §. 156. dum generatim decernit: *Concilia abſque ſummo Pontifice habita juxta vetuſtum Eccleſiæ Canonem jam ſeculo quarto agnitum non legitima cenſeri poſſe*. Enimvero Socrates, L. II. c. 17. & Sozomenus, L. III. c. 10. habent de caſu, quo Epiſcopi conciliabuli Antiocheni contra canones Papam ad concilium neglexerunt prorſus, atque non vocarunt; id quod nos ipſi interdictum eſſe, & ita non quidquam *præter ſententiam Romani Pontificis ab Eccleſiis decerni debere* ſecundum propria noſtra de Primatu principia admittimus. Conf. Petrus Conſtant. in Collect. Epiſt. Rom. Pontif. col. 354. & 386. Et an non Concilium Piſanum an. 1409. durante ſchiſmate Benedicti XIII. & Gregorii XII. per Cardinales convocatum fuit? ſed fortaſſe hoc ipſum ideo potius conventiculum dices. *O! ridenda & irrationalis nimium ratio*, ait Gerſon in oratione ad plenam Synodum habita op. T. II. pag. 135. *Neque vero ad quatuor illa concilia, quæ in actibus Apoſtolicis deſcribuntur, Petrus vocaſſe memoratur. Neque Synodus Nicæna juſſu Sylveſtri, ſed Conſtantini conveniſſe legitur. Ad quintum univerſale Patrum concilium contra Theodorum Neſtorii diſcipulum, nemine convocante ſeſe certatim Patres exhortati ſunt. Fuere ergo conventicula? Cave dixeris. Coluntur a Gregorio tanquam Evangelia. Quid ſi ſchiſma dubios reddit chriſtianos, quem duorum pro Papa colant? quid ſi, quod perrarum eſt, ſummus Pontifex labatur in hæreſim, ut legimus Liberium Arrianæ pravitati ſubſcripſiſſe: Marcellinum idolis ſacrificaſſe? Quid ſi intollerandis oneribus chriſtianitatem gravaret? an adverſus tantos morbos ullam relinquis medicinam? Relinquo, inquies. Credo ſane, nam imperfectam nimium Eccleſiaſticam Politiam adſtrueres, nec a Deo, cujus perfecta ſunt opera, ſalubriter inſtitutam, quod credere nefas eſt, ſi quis in eam morbus poſſet irruere, contra quem nulla memoratis caſibus relinquitur, ſi non aliquando ſine Papæ vocatione convenire poſſit Eccleſia.* Conf. quoque Conſil. Baſil. apud Harduin. Tom. VIII. Col. 1329. L'Enfant. Hiſt. Concil. Piſani, L. III. §. 7. Andreæ Epiſc. Magorenſ. Gubernac. Concil. Part. VII. p. 269. & ſequ. Boſſuet. Def. decl. cler. gall. L. III. c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Launoyus L. I. Ep. 10. & L. II. Ep. 6. Profecto etiam in concilio Conſtantinopolitano an. 381. & in Conſtantienſi inde a fuga Joannis XXIII. uſque ad electionem Martini V. deficiente licet Pontificis præſidio ordinate procedebatur; Atque ſemper oportet rite ratiocinari, neque ex hoc, quod Romano Pontifici competat Jus concilia œcumenica convocandi, in iiſque præſidendi, ſuffragandique, ſtatim concludere, ergo hoc eidem ita *privative* competit, ut abſque vocatione per eum facta, abſque ejus præſidio, & ſuffragio non unquam legitimum concilium queat celebrari. Ex dictis facile reſponderi poteſt ad quæſtionem: Num Rom. Pontifex Concilium intempeſtive diſſolvendi jure gaudeat: vid. Harduinus Tom. VIII. Col. 1320. & Andreæ Epiſc. Magorenſ. laudat. Gubernaculum Conciliorum P. VII. p. 277. & P. IX. p. 209.

(*b*) Quamquam ipſum axioma præmiſſum jam omnia ante demonſtrata contineat, ut uno obtutu cuivis in memoriam revocare poſſit, placet tamen, neque ſine motivo placet, præcipua ſaltem identidem repetere.

1. Epiſcoporum poteſtas eſt æqualis & tantum quoad eamdem poteſtatem Pontifici Primatus competit, ergo licet etiam in concilio Pontifex primus jure decidendi gaudeat, tamen etiam Epiſcopi hoc eodem decidendi jure non carent.

2. Novimus textus, queis præcedens doctrina nititur, nempe, *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. Regere* atque adeo decidere queunt Epiſcopi omnes, & hinc omnibus, non toti Petro *viſum eſt, nihil ultra imponere* &c. *Propter quod & ego judico*, non CONSULO, ait *Jacobus*. *Perambulat Paulus* poſt illud Apoſtolorum concilium Act. XV. *Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias præcipiens cuſtodire* PRÆCEPTA, non conſilia *Apoſtolorum & ſeniorum* —— *tradebat eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis*. Hinc etiam

3. Synodorum formulæ ſonant: *decrevimus, projecimus, privavimus*, veluti ſpeciatim Synodus VIII. adverſus Photium ait: *Nos eum inobedientem & reſiſtentem ſanctæ huic & univerſali Synodo* REPULIMUS, & ANATHEMATIZAVIMUS, *atque a tota & Apoſtolica Eccleſia* FECIMUS *alienum* PER DATAM NOBIS POTESTATEM IN SPIRITU SANCTO A PRIMO ET MAGNO PONTIFICE NOSTRO LIBERATORE ET SALVATORE *cunctorum*. Atque

Digitized by Google

4. Illa Concilii Tridentini formula Seſſ. XVII. *proponentibus legatis ac Præſidentibus* an non illico offendit Epiſcopos, quibus ſuum jns libere dandi ſuffragia inde detrimenti quid accepiſſe videbatur? quapropter ſubinde ejuſdem formulæ explanatio ſalvo hoc Epiſcoporum libero jure Seſſ. XXIV. c. 21. edita fuerat.

Quod in fine præſationis Seſſ. VII. & in Seſſ. XXV. cap. 21. legantur Clauſulæ: *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate*, eo ſpectat, ut intelligatur, concilium ad neceſſariam licet reformationem celebratum, agnoſcere tamen, non deminui, ſed ſalvam manere debere in omnibus Pontificis authoritatem, non autem, quaſi concilii decreta a ſola Pontificis authoritate dependerent; vid. Gibert. corp. Jur. Can. in Proleg. Part. I. Tit. 20. Sect. 2. pag. 157. ſequ. etſi vel hiſce clauſulis jam Galli ita commoti ſint, ut tridentinam ſynodum quoad ejuſmodi recuſarent. Boſſuet L. XI. cap. 18. Qui idem celeb. Author de votis Epiſcoporum deciſivis fuſius diſputat adverſus Bellarminum L. XIII. cap. 20. quod omnino legi mereteur. Conf. etiam Alexandri natalis Hiſt. Eccl. Tom. VII. pag. 538. Schol. X. ubi perſtringit Fagnanum docentem, quod in Conciliis Epiſcopi non conjudices, ſed tantum conſultores Pontificis ſint.

(*c*) Quot ſtricto numero Epiſcopi concilium œcumenicum conſtituant, juriſprudens nullus, ceu dubitans ſciſcitabitur. Etenim cum nec ſcripta, nec tradita lege quid hac in parte fixum ſit, ſufficit, ſi plurimi majorum gentium Hierarchæ orthodoxi aut per ſe, aut per legatos, aut ſaltem per literas adſint. Suppono videlicet vocatos eſſe Epiſcopos omnes. Reſciunt itaque fore concilium, & hinc, ſi nec per ſe, nec per legatos compareant, neque quid per literas ſignificent, ſecundum regulas ſocietatum naturales, & inde deductum illud axioma: *vota abſentium adcreſcunt præſentibus*, hoc ipſo præſentibus ſe conformare velle, tacite declarant. Omnium ſane præſentiam ſi requiris, tum tu mihi nullum, quod hactenus œcumenicum fuiſſet, Concilium oſtendes. Ego autem tibi omne etiam impoſterum ejuſmodi œcumenicum concilium impoſſibile fore, facile ex ipſa perſonarum locorumque humana conditione demonſtrabo. Variavit in omni fere concilio numerus, quia jam plures, jam pauciores venire aut poterant, aut volebant. Vides igitur, quod non tantum non omnium præſentia, ſed nec quidem certus Prælatorum numerus concilium œcumenicum efficiat; imo videre debes, quod neque efficere hac in parte quid ſolus numerus poſſit, cum ſecus Concilium alterum altero magis œcumenicum eſſe adfirmare cogeremur. Quidquod Synodi particulares nonnullæ, in queis *exiguus Epiſcoporum numerus præſens* fuerat, accedente ad earundem decreta ſubinde diſperſorum orbis Epiſcoporum conſenſu conciliis œcumenicis adnumeratæ fuerint, Conf. Gibert. corp. Jur. Can. in Proleg. P. I. Tit. 15. Sect. 18. p. 169. Ceterum eo ſemper reſpexere concilia, ut deciſa non ſimpliciter majoribus votis, ſed votis eminenter majoribus, atque tamnumero quampondere firmata obtinerent. Conf. Pallavicinus Hiſt. Conc. Trid. L. XVIII. cap. 2. L. XIX. cap. 15. n. 3. L. XXII. cap. 4. n. 2. & Boſſuet def. cler. Gall. L. I. c. 2. videlicet juxta doctrinam ipſius Melchioris Cani; L. V. de locis cap. 5. quæſt. 2. ubi ait: *nego: cum de fide agitur, ſequi plurimorum judicium oportere. Nec hic ut humanis vel electionibus vel judiciis ex numero ſuffragiorum ſententiam metimur. Scimus frequenter uſu venire, ut major pars vincat minorem; ſcimus ea non ſemper eſſe optima, quæ placent plurimis; ſcimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, ſapientium ſenſum eſſe præferendum.* Quotieſcunque igitur concilia legitime celebrata deciderunt ex numero ſuffragiorum ſimpliciter plurium, eorundem ſimul pondere illa ad deciſionem permota fuiſſe, dubitari non poteſt. Quod ipſum omnes adverſus legitima concilia exceptiones elidit.

(*d*) Ipſe ego uſque adfirmabo Concilium omne, etſi ejus convocationem negligente Pontifice id ipſi Epiſcopi celebrare queant, Pontifici tamen intimari debere; dum enim vocandi Epiſcopi omnes, & dum præterea inter Epiſcopos ſeu extra Concilium, ſeu in illo ſemper Pontifex Primatum honoris & juriſdictionis habet, tam qua Epiſcopus, quam qua Eccleſiæ primas de celebrando Concilio certior reddatur neceſſe eſt. Adfirmabo quoque ſemper, celebrato concilio ejuſdem acta ideo deinde ad ſummum Pontificem referenda eſſe, ut iis pro munere ſuo ſecundum ea, quæ in ejuſmodi concilio ab Eccleſia deciſa ſunt, promovendæ in toto orbe conformitati invigilare poſſit. Et denique nunquam principiis ſupra ſtabilitis contradicam, aſſerendo: Pontificis ſeu per ſe, ſeu per legatos præſentis ſuffragium in Concilio non ante alios explorandum eſſe. Atque hac ratione ſine Pontifice nulla concilia firma eſſe, ſi intelligis, conſentientes ſumus. Quod ſi autem arbitraris, concilium quodcumque, quantumvis Pontifici convocare negligenti intimatum ſit, quantumvis ipſi acta illius fuerint relata, quantumvis aut in concilio, aut poſt illud ejus votum exploratum, ejus acceſſus cum omni reverentia poſtulatus, ſi tamen concilio & ejuſdem ſententiis adverſetur, nunquam vim decretoriam obtenturum eſſe, vehementer falleris. Conſidera enim quæſo:

1. Non fruſtra præmiſſum & antea ſtabilitum axioma; videlicet quod quoad ſacrum regimen nomine Eccleſiæ ejuſdem Rectores veniant.

niant. Hi Rectores a Spiritu ſancto regere poſiti ſunt, hi æquali cum Pontifice poteſtate gaudent, & Pontifex non niſi unitatis conſervandæ cauſa in eadem poteſtate primatum habet. Ergone Epiſcopis accepta a Spiritu ſancto regendi facultas non ſufficit, non prodeſt, niſi porro & Pontificis placitum accedat? Ergone inter æquales ab eo, qui tantum eadem poteſtate primus, non vero poteſtate contraria adverſus reliquos uti poteſt, reliquorum ſancita dependent? Ergone ubi unitas Eccleſiæ conſenſu ejuſdem Rectorum jam obtenta eſt, is, qui ad hanc unionem conſervandam poſitus eſt, ſuo diſſenſu eandem turbandi jus habet? Conſidera

2. Concilium Apoſtolicum Act. Ap. C. XV. ubi quidem Primus ſententiam ſuam locutus eſt Petrus — ſed judicavit deinde & Jacobus & denique *confirmationem* dederunt *Apoſtoli & ſeniores cum omni Eccleſia* v. 22. Sane ſicuti Paulus in faciem reſtitit Cephæ, etiam cunctis Apoſtolis, ſenioribus, & omni Eccleſiæ ſententia Petri *placere* non potuiſſet. Sed *placuit*, & miſerunt Judam & Silam, qui non ſententiam Apoſtolorum a Petro confirmatam, ſed ſententiam Petri confirmatam ab Apoſtolis ſenioribus & omni Eccleſia & roboratam his verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* ad fratres Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ degentes proferrent. Conſidera,

3. Quod ipſi adverſarii admittant, Pontificem poſſe fieri plane hæreticum, ergo multo facilius in iis, in quæ citius, quam in hæreſim labimur, errare poterit. Quale igitur tum Eccleſia præſidium habet, ſi ſa uberrimis Synodi, etiamſi tantum quoad diſciplinam ſtatutis, ejuſmodi errantis Pontificis adſenſus denegatur? Et quid dicam, ſi

4. De fide & moribus ad ſalutem æternam neceſſariis quæſtio habeatur. Redeo ad conceſſa & ex his ſane conceſſis nunquam certi ſumus, an non *ſicut Petrus non recte ambulabat ad veritatem Evangelii*, ad Gal. II. v. 14. etiam Pontifex qua in re minus recte verſetur. Quomodo ergo aliter certi reddemur, quam judicio Rectorum totius Eccleſiæ, qui Pontificem hæreticum factum qua talem, atque adeo etiam aliis in rebus errantem declarare queunt. Num ergo ab illo, qui hæreticus fieri, qui errare poteſt, decretoriam requiris auctoritatem, ut valeat illud, quod Epiſcopis non ſingulis, ſed *collectis in unum placuit, quod viſum eſt illis & Spiritui ſancto*, qui etſi recedere poſſit, & recedit a Pontifice hæretico facto, aut graviter errante: ſecundum divinam tantum promiſſionem ab Eccleſia, adeoque a reliquis Epiſcopis omnibus nunquam recedet. Accedit

5. Quod ſi omnium conciliorum generalium acta perlegantur, nulla unquam ejuſmodi confirmatio a Pontifice Romano petita fuiſſe deprehendatur, id quod demonſtravit Boſſuet def. Declar. Cleri Gall. L. XIII. C. I. ſeq. Neque enim obſtat I. quod Jul. P. damnaverit Synodum Antiochenam ab Arianis celebratam, quia *contra canones ipſum ad Synodum non vocarunt, quia Eccleſiaſtica Regula interdictum eſt, ne præter ſententiam Romani Epiſcopi quidquam ab Eccleſia decernatur*. II. Canon Eccleſiæ antiquiſſimus, quem producit Socrates, *ne quidquam in Eccleſia decernatur abſque conſenſu Romani Epiſcopi*. *III. Concilium Chalcedonenſe*, quod Dioſcoro Patriarchæ Alexandrino nullum locum conceſſit, *quia ſine Epiſcopi Romani auctoritate Synodum auſus eſt facere, quod nunquam factum eſt*. Omnia hæc profecto nobis non obſtant, qui præmiſimus & ipſi profeſſi ſumus: nulla firma eſſe concilia ſine Pontifice eo in ſenſu, ſi ei concilium convocare negligenti concilium ab Epiſcopis ipſis deinde celebrandum non intimetur, ſi acta ad eundem non referantur, ſi ejus ſuffragium in concilio non præ reliquis exquiratur, ſi poſt concilium, cui præſens non fuit; ejuſdem acceſſus non cum omni reverentia poſtuletur. Hoc in ſenſu non in alio confirmationem, ſeu ratihabitionem concilia generalia & petebant, & petere debebant. Hoc in ſenſu non tantum propter canones, ſed ipſum divinum Jus Pontifici competens nil abſque ejus conſenſu in Eccleſia decerni poteſt. Atque hoc in ſenſu Dioſcorus, & Ariani ſine Pontifice decernentes merito condemnati ſunt.

* Ex his omnibus jam ſimul adparet, quam parum ab Eccleſia extra concilium conſentiente ad Pontificem adpellari poteſt, tam parum etiam a concilio, in quo eadem Eccleſia congregata eſt, ejuſmodi adpellationem obtinere. Sed & circa confirmationem & adpellationem clarior adhuc tibi orietur idea paulo poſt, ubi Pontificem Eccleſia tota, & proinde etiam concilio œcumenico inferiorem eſſe demonſtrabimus.

§. 149. Mera denique etiam ex præmiſſis ſunt corollaria, VIII. concilium œcumenicum in materia fidei & morum ad ſalutem æternam neceſſariorum eſſe infallibile (*a*) IX. conditos ab eodem Canones, modo rite promulgati ſint, univerſalem vim obligandi habere (*b*) X. veluti Legiſlator leges ſuas abrogare, aut iiſdem derogare poteſt, ita in iis, quæ ad diſciplinam pertinent, etiam poſterius Concilium derogare priori, ſeu ab eadem Eccleſia, quæ quid ad diſciplinam pertinens in priori concilio ſanxit, in Synodo poſteriore, ſi quando adjuncta mutentur, lege alia mutari

Digitized by Google

tari poſſe (*c*) XI. Interpretationes & diſpenſationes circa ea; quæ quoad diſciplinam ſtatuta ſunt; in conciliis, hiſce dimiſſis non tantum ad Romanum Pontificem, ſed & ad Epiſcopos pertinere (*d*).

(*a*) Eſt enim Eccleſia infallibilis. Eſt Eccleſia eadem, ſeu diſperſa, ſeu in concilio collecta conſideretur, ergo & concilium in materia fidei & morum ad ſalutem æternam neceſſariorum infallibile eſſe tam clarum ex præmiſſo axiomate eſt corollarium, ut ulteriori deductione, ſoli lumen addere velle videri poſſem. Quam optime paucis omnia complectitur Athanaſius, dum ad Epiſc. Afric. ſcribit. VERBUM DEI *per Oecumenicam Nicænam Synodum manet in æternum*. Sed non fruſtra de materia fidei & morum ad ſalutem æternam neceſſariorum, quales Matth. V. 24. Luc. III. 11. & ſequ. ad Rom. XII. Jacobi I. 27. &c. continentur, Eccleſiæ infallibilitatem tantummodo defendimus, etenim conciliorum ſtatuta duplicis generis, nempe quædam *Dogmata* ſeu fidem concernentia, quædam vero Canones, ſeu, ut Concilium Tridentinum, quod definitiones fidei canones compellavit, loquitur, *Decreta* ad diſciplinam ſtabiliendam comparata eſſe noſcimus, atque hæc quidem adcommodantur, & adcommodari debent locorum perſonarumque adiunctis, quæ cum ubique non ſunt eadem, & ex ipſa humana conditione mutationi continuæ ſubjaceant, ſtante hac mutabili locorum perſonarumque conditione neque a Chriſto, neque ab Eccleſia omnibus totius mundi locis perſoniſque eadem & immutabilis norma hac in parte præfigi potuit, poteritque. Quidquod ipſe Didacus Payva Luſitanus, unus ex Concilii Tridentini Theologis & vir a Card. Pallavicini in Hiſt. Conc. Trid. L. XXIV. cap. 10. n. 17. ſummopere laudatus in defenſione Tridentinæ fidei L. I. de conciliorum generalium auctoritate non habuerat difficultatem hæc proferendi verba: *Concilia in dogmatibus fidei non poſſunt errare; circa leges ad Eccleſiam componendam latas poſſunt errare, & non ſemper ſalubriora ſtatuunt*. Ceterum præcipua ſemper in ſtabilienda reſtituendaque diſciplina conciliorum hactenus cura fuerat, quapropter etiam in iis ſub throno non ſolus S. *Scripturæ* codex, ſed & alter *Canonum* ponebatur. Circa conciliorum autem in fidei quæſtionibus ſtatuta veluti jam ſupra monui, iterato recogites velim a conciliis dogmata non nova condi: *Chriſti Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, neque unquam aliud conciliorum decretis viſa eſt, niſi ut quod antea ſimpliciter credebatur; hoc idem poſtea diligentius crederetur, quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur, quod ante ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur. Hoc inquam ſemper, neque quidquam aliud* HÆRETICORUM NOVITATIBUS EXCITATA *conciliorum ſuorum decretis perfecit Eccleſia, niſi ut, quod prius a majoribus ſola* TRADITIONE *ſuſceperat, hoc idem poſteris etiam ſcripturæ chirographum conſignaret* MAGNAM RERUM SUMMAM PAUCIS LITTERIS COMPREHEDENDO, ET PLERUMQUE PROPIER INTELLIGENTIÆ LUMEN NON NOVUM FIDEI SENSUM NOVÆ ADPELLATIONIS PROPRIETATE SIGNANDO. Vincentius Lirinenſis in Common. I. Cap. 31.

(*b*) Concilium œcumenicum conficiunt univerſæ Eccleſiæ Rectores, quibus inane regendi jus eſſet, niſi eidem ex parte fidelium totius orbis parendi reſponderet obligatio. Sed quemadmodum ad cuſtodiam legis requiritur, ut viva ejuſdem cognitio præcedat, & promulgationis nomine intelligitur actus, per quem in cognitionem legis venire poſſumus, patet etiam ſtatuta conciliorum, ut ea vim plenam obligandi nanciſcantur, legitime debere promulgari. Quid præter placetum Regium ad legitimam legum Eccleſiaſticarum promulgationem requiratur, infra, ubi de poteſtate legislatoria generatim diſſeram, commodior erit deducendi locus. Id tamen obſervabis, non omnia, quæ in conciliorum actis continentur, legis inſtar habenda eſſe. Quædam tantummodo *ut Theologorum concluſiones* adducuntur. Quædam placent ut *probabiliora*, vid. Clem. unica de SS. Trinit. Quædam ut *pia & ſalutaria* laudantur, veluti uſus imaginum, ſupplicationes publicæ. Quædam denique relinquuntur, *neutra in partem definita*, veluti circa quæſtiones de poteſtate & Reſidentia Epiſcoporum; an illa immediate a Deo & hæc juris divini ſit, in Concilio Tridentino propterea, quia ut ait Alexand. Nat. *Itali pro contraria ſententia tamquam pro aris & focis certabant Romani Pontificis auctoritatem imminui falſo arbitrati*: nec non circa alias quæſtiones ſtudioſe evitatas contigit.

Speciatim ad rite intelligendos canones Concilii Tridentini ex ejuſdem hiſtoria adverti debet; illud in multis tantum P oteſtantium cavillationes. & contemptum adverſus Eccleſiam condemnaſſe, atque contra eorumdem calumnias juſtificationem uſus in Eccleſia latina receptorum habuiſſe pro fine, quin circa uſus quoſdam v. g. Eccleſiæ orientalis, aut circa quæſtiones Jura Principum tangentes quidpiam definire voluerit. Exempla habemus in uſu latinæ linguæ in ſacrificio miſſæ, & aliis partibus divini officii, in divortio ob cauſam adul-

terii,

Digitized by Google

terii, in numero minorum ordinum; in ritibus & forma variorum Sacramentorum, in uſu calicis, in cælibatu Presbyterorum, in impedimentis matrimonii tanquam contractus. Conferantur Drouvenii de re Sacramentaria Libri X. & peculiariter L. IX. Q. 4. c. 1. pag. 451. La perpetuité de la foy de l'Egliſe catholique ſur le Sacraments Tom. cinquieme Liv. VI. cap. VII. Oberhauſer Apolog. de legibus imped. dirim. & videatur ipſum Concil. Trid. in Seſs. 24. Et dum paulo ante percepimus, Eccleſiam non infallibilem eſſe, in rebus meræ diſciplinæ, ac ſtatuta ejuſmodi ex diverſis locorum perſonarumque adjunctis ſuam determinationem ſortiri, haudquaquam mirari poſſumus cur ſummi Principes & Epiſcopi; hi pro ſua ſuis ovibus, illi pro ſua ſuis civibus conſulendi cura obſtiterint, quo minus multa conciliorum ſtatuta in materia diſciplinari in ſubditis ſibi Provinciis ac Diæceſibus promulgarentur. Conf. de Marca de C. S. & I. L. II. cap. 17. n. 6. Moroſini Hiſt. Venet. L. VIII. pag. 324. ad an. 1564. Giannone Hiſt. civile de Royaume de Naples Tom. IV. L. XXXIII. pag. 237. & 240. Van-Eſpen Tract. de Promulgatione legum Eccleſ. P. III. cap. 2.

(*c*) *Quis* enim *neſcit*, ait Auguſtinus, concilia *ipſa pleniora ſæpe a poſterioribus emendari*, CUM ALIO EXPERIMENTO RERUM APERITUR QUOD CLAUSUM ERAT. L. II. C. 3. de bapt. contr. Donat. In rebus fidei autem eo ipſo, quod concilium ſit infallibile, ejuſmodi abrogatio derogatiove obtineri nequit; quid autem ſi duo concilia in quadam quæſtione fidei ſibi contraria eſſe quibuſdam viderentur? Hi ſibi ex Auguſtini L. III. contra Maximinum C. 14. conſilium iſtud ſumant: *ſcripturarum auctoritate & utriuſque concilii communibus teſtibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione componatur*.

(*d*) Ex eodem axiomate, quod concilium Rectores Eccleſiæ conficiant, quiſque intelligit: concilio non minus ac aliis legiſlatoribus tam authentice ſtatuta, ſeu in eodem concilio, ſeu extra illud lata, interpretandi, quam in iiſdem diſpenſandi jus convenire. Quod ſi eo tempore, ubi interpretandi aut diſpenſandi neceſſitas ingruit, concilium haberi, aut tam cito totius Eccleſiæ diſperſæ conſenſus obtineri nequeat? adeſt I. unitatis conſervandæ cauſa in Eccleſia Primas, cujus interpretationi ita, uti ſuperius expoſuimus interea adquieſcendum erit. Adſunt II. Epiſcopi, qui juxta effatum Petri Alliacenſis facult. Pariſ. Doctoris, poſtea Epiſcopi Cameracenſis, & S. R. E. Cardinalis ab *omnimoda cognitione*, *examinatione*, *& deciſione eorum*, *quæ ſunt fidei*, *citra hæreſim*, *& ſalvo Jure tam divino*, *quam humano excludi nequeunt*, quia teſte Gerſone & tota Eccleſia Gallicana *in examinandis & decidendis dogmatibus fidei naturales judices*, *ac interpretes hoc munus divina inſtitutione ſibi annexum habentes* prædicantur; & hi ipſi eminenter ſunt Viri de ſingularum provinciarum moribus inſtructi, per quales ipſum Concilium Tridentinum in materia diſciplinari interpretationem fieri jubet. Conf. Van-Eſpen P. I. Tit. XXI. c. 7. P. IV. Tit. IV. de delict. Eccleſ. C. II. Quod ad poteſtatem diſpenſandi in ſtatutis conciliorum attinet, non minus Pontifex Romanus hac poteſtate gaudet eo caſu, quo Concilium ipſum haud dubie fuiſſet diſpenſaturum; & qui itaque caſus adeo debet eſſe comparatus, ut diſpenſatio non in ipſam mentem concilii, non in conſervationem diſciplinæ, non in jura Epiſcoporum ad eandem in ſuis Diæceſibus ſuſtinendam obligatorum offendat. Id quod ipſum tam ſollicite hac de materia ſcribentem facit Gerſonem in Tract. de Reform. Eccleſ. in Concilio Univ. cap. XVII. Sed & in tali caſu, quo concilium ex prudentia legiſlatoria diſpenſare deberet, & quotieſcumque neceſſitas vel magna utilitas urget, ipſos Epiſcopos utpote æquali poteſtate præditos in ſuis Diæceſibus diſpenſare poſſe ex ſtabilitis principiis conſequitur. Erit locus, ubi de juribus Epiſcoporum agemus, & ibi hanc in rem complura eruditiſſimorum Virorum teſtimonia referemus. Sufficiat hic interim regula Cl. Barthel defuncti SS. Canonum Profeſſoris in Univ. Herbipol. quæ ita ſonant: *Epiſcopus poteſt in Canonibus concilii generalis, & conſtitutionibus Apoſtolicis ſecundum ſpiritum tamen Canonum ex utilitate & neceſſitate publica diſpenſare, niſi in ſpecie hæc ei facultas ſit ademta. Ratio eſt, quia hæc facultas diſpenſandi in ſuo diſtrictu Epiſcopo conceſſa eſt, quæ eſt utilis & neceſſaria ad regendam Eccleſiam, in qua a Spiritu ſancto poſitus eſt; atqui facultas diſpenſandi in conciliis generalibus Canonum &c. eſt Epiſcopo neceſſaria & utilis, ne jugum Chriſti evadat durum, & homines ſubinde laqueis conſcientiæ involvantur. Ergo in* REGULA *eſt conceſſa, cum Chriſtus Dominus illimitate dixerit, quæcunque ſolveritis ſuper terram* &c. Solidiſſimæ huic Doctiſſimi viri Regulæ profecto nullus quid ſolidius obmovere poterit.

Conf. clariſs. de Riegger, cap. IV. de Conciliis.

§. 150. Et an non tandem concluditur XII. ſupremum Eccleſiaſticum Regimen & tribunal a Chriſto non igitur in alio, quam in ipſo Rectorum Eccleſiæ cœtu, atque hinc quoque in eundem repræſentante concilio conſtitutum eſſe? Evidens

videlicet id jam non eſſe non poteſt, ſi modo iis omnibus ſane adplicetur ratio; quæ hucuſque demonſtravimus (*a*).

(*a*) Quodnam enim ſana ratio præcipuum tribunal eſſe dictat? num illud cujus infallibilitatem omnes Catholici abunde convicti agnoſcimus, num vero id cujus Infallibilitas a piiſſimis doctiſſimiſque Catholicorum & in dubium vocatur, & merito juxta hactenus demonſtrata in dubium vocari poteſt? Infallibile Judicium Eccleſiæ, & quidem non fruſtra conceſſum eſt. Porro hoc infallibile Eccleſiæ judicium ipſius infallibilis divini ſpiritus adſiſtentia nititur. Denique qui inter ſingulos eadem poteſtate gaudentes tantum unitatis conſervandæ cauſa Primatum habet, huic certe non majorem ſuper omnes collective ſumtos poteſtatem ſibi vendicandi jus eſt. An ergo ſupra infallibile judicium infallibile aliud quærere, anne ſupra adſiſtentem infallibilem divinum Spiritum alium judicem conſtituere, anne ex Primate Monarcham exſculpere recta ratio jubet?

§. 151. Sed & facili negotio commonſtratur, non remotiori aut ſubtiliori concluſione, ad hoc eliciendum opus eſſe, dum idipſum in ſingulis illis puriſſimis fontibus, ex quibus hactenus cuncta hauſimus, tam frequenter, tam peculiariter, tam expreſſe continetur. Et quidem primo omnium tam ſacra ſcriptura (*a*) quam totius veteris Eccleſiæ praxis (*b*) hoc ſpeciatim argumentum prorſus ſingulariter in lucem ponit.

Præclare ait Boſſuet de poteſt. Eccleſ. L. III. cap. 15. *Non ex proprio cerebro, vaniſque ratiocinationibus Chriſtianæ Reipublicæ formam effingendam eſſe: ſed ſcripturis & traditione demonſtrandum, Eccleſiaſticam Monarchiam ſub Chriſto præcipuo Monarcha conſtitutam ad formam Monarchiæ ſecularis penitus inſtitutam eſſe: quod falſiſſimum eſt.* Enimvero tantum abeſt, ut ſacra ſcriptura doceat, ſupremam & ultimam poteſtatem in Eccleſia S. Petro eiuſque ſucceſſoribus eſſe commiſſam, ut potius contrarium, & in tot locis, & clariſſime, & nervoſe inculcet. Videlicet Matth. XVIII. v. 15. & ſeq. Chriſtus Petro (non itaque tantum reliquis Apoſtolis) ſat aperte ſupremum in terris ſpirituale Tribunal oſtendit his verbis: *ſi peccaverit in te frater tuus; vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit lucratus eris fratrem tuum; ſi autem* TE NON AUDIERIT *adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum*, QUOD SI NON AUDIERIT EOS, DIC ECCLESIÆ, SI AUTEM ECCLESIAM NON AUDIERIT, SIT TIBI SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS. Si Chriſtus ſupremum Petro judicium concedere voluiſſet, non eundem ad Eccleſiam ablegaſſet, ſed dixiſſet illico: *Petre, ſi quis* TE *non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Et adverte, jam hæc verba: *ſi peccaverit in te* FRATER TUUS. Petrus ergo inter fratres, inter membra ejuſdem Eccleſiæ, utut ſit membrum principalius, collocatur. Quemadmodum a Salvatore etiam Matth. XXIII. v. 8. dictum fuit: *Nolite vocari Rabbi, unus enim eſt Magiſter veſter*, OMNES *autem* VOS FRATRES *eſtis. Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus enim Pater veſter, qui in cælis eſt. Nec vocemini* MAGISTRI, *quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus*. Id quod etiam advertens Gerſonius Tract. de Poteſt. Eccleſ. Conſiderat. IV. ita ad priorem textum inter alia ſcribit: *Fundatur abſque omni calumnia paſſibili, in hoc textu plenitudo gladii ſpiritualis & executio ejus in Eccleſia ſuper quemlibet Chriſtianum, qui eſt* FRATER *noſter, etiamſi* PAPA *fuerit*. Et porro quam optime contra adverſarios: *Nec accipiendum eſt hic:* DIC ECCLESIÆ, *id eſt*, PAPÆ, *quoniam Chriſtus* PETRO *loquebatur, qui non dixiſſet* SIBI IPSI. *Item quia ſubjunctum eſt pluraliter:* QUÆCUMQUE LIGAVERITIS SUPER TERRAM *&c.* Nos igitur ex verbis Chriſti demonſtrare poſſumus I. quod hic fundator noſter ultra Petrum & Petro ſuperiorem Judicem Eccleſiam præfixerit. II. quod idem fundator ultra Eccleſiam non alium audiri, ſed eum, qui iſtam non audit, confeſtim ut Ethnicum & publicanum haberi, ſeu quod idem eſt, Eccleſiam tanquam ultimum tribunal æſtimari, juſſerit. Demonſtrent etiam nobis, ſi queunt, adverſarii ex ſacris literis ſuam ita clare ſententiam. Quidquid ſane ex ſacro codice in medium proferunt, Primatum, quem non negamus, non item ſupremum Pontificis in Eccleſia judicium evincit. Sed progrediamur porro ad alia ex hactenus dictis nobis notiſſima ſacræ Scripturæ loca. Quod Act. Ap. XV. v. 7. & ſeq. in concilio Hieroſolymitano Petrus de circumciſione gentibus non imponenda dixit, non ſtatim cognitum eſt, ut ſupremum judicium. Petrus tantummodo primus ſuam dixit ſententiam, v. 11. ſubinde judicavit Jacobus v. 13. & poſtea, quæ ambo iſti ex æquo judicarunt, ultimum judicium latum eſt ab *Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia*. v. 22.

qui-

Digitized by Google

quibus nempe *in unum collectis* idem *placuit* v. 25. Atque vix ac pronunciatum erat, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* v. 28. illi, *qui ad Apoſtolos & Presbyteros* tanquam ad ſupremum Tribunal *in Jeruſalem ſuper hac quæſtione aſcenderunt*, v. 2. *dimiſſi deſcenderunt Antiochiam v. 39. & cum pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant* DECRETA AB APOSTOLIS ET SENIORIBUS, QUI ERANT JEROSOLYMIS XVI. 4. Quam clariſſime, etiam opinor, ex cap. VIII. Act. Apoſt. patet, Petrum potius juxta nutum & voluntatem Eccleſiæ ſuum miniſterium obiiſſe, quam miniſterium reliquorum Apoſtolorum ab illius nutu & voluntate dependiſſe. Etenim *cum audiſſent* APOSTOLI, *qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei*, MISERUNT *ad eos* PETRUM *& Joannem*, ibi v. 14. *Miſerunt itaque Apoſtoli*, ait Gerſon, *in Samariam Petrum & Joannem tanquam ſubditos Eccleſiæ* Tract. cit. Conſid. XI. Denique ſi id agnoviſſet *Paulus Apoſtolus*, quod *Paulus IV.* in recenſita Bulla *cum ex Apoſtolatus officio aſſerit*: videlicet, Pontificem a nemine judicari poſſe; ille non Petro coram omnibus in faciem reſtitiſſet, non eundem, *quod non recte ambulet ad veritatem Evangelii*, judicaſſet; ad Gal. II. 11. & ſeq.

(*b*) Protulimus paulo ante in medium illam inter Cyprianum & Stephanum P. de rebaptizandis hæreticis controverſiam pro argumento, ſententias Pontificum in veteri Eccleſia non infallibiles fuiſſe agnitas. Eadem controverſia ſimul argumentum eſt: Judicium Pontificis neque etiam *ſupremum* in veteri Eccleſia fuiſſe habitum. Enimvero Sanctiſſimum Cyprianum, etſi non infallibilitas, ſaltem Pontificia ſuperioritas deterruiſſet. Sed & aliam novimus controverſiam inter Epiſcopos Aſiæ & Romanum Pontificem Victorem, de celebrando Paſchate. Vetuſta quadam traditione hi Epiſcopi Paſcha celebrabant quarta decima luna, in quamcumque Septimanæ diem ea incidiſſet. Victor autem, ut cum reliquis Eccleſiis ſolemnitatem iſtam dominica ſequente peragerent, primum mandato, & ſubinde addito fulmine urgebat. Illi nec mandato nec fulmine turbati antiquum ſuum morem uſque ad Nicænam Synodum retinuerunt. Hujus demum auctoritati; non Pontifici conceſſere. Conf. Euſeb. L. V. Hiſt. Eccl. c. 23. Et an non notiſſimum Exemplum Apiarii Presbyteri, qui ab Epiſcopis Africanis gradu & communione ſummotus incaſſum ad Sedem Apoſtolicam confugit? An non fruſtra a ZOZIMO Papa legati in Africam miſſi, qui in Concilio Carthaginenſi anno 414. adpellationes ad Sedem Romanam & decretam a Pontifice executionem urgerent? an non Patres Africæ ad Cæleſtinum Papam reſcripſere, ne ejuſmodi adpellationes reciperet, neque ab iis excommunicatos admitteret in communionem, *quia nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna ſive inferioris ordinis clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis ſuis apertiſſime commiſerunt*. Harduin. Concil. Tom. I. Col. 950. Sed nec opus eſt, ut ad tempora prorſus antiquiſſima redeamus. Legimus enim & Patres Concilii Salegunſtadienſis an. 1022. & Patres Concilii Lemovicenſis an. 1033. abſolutiones abſque ipſorum conſenſu a Pontifice datas pro illicitis habuiſſe. Tom. XI. Concil. pag. 1153. & 1230. Legimus *Robertum Groſſeteſtium* Epiſcopum Lincolnenſem a. 1253. Innocentio IV. varias præbendas Eccleſiæ Gallicanæ reſervare volenti, *hanc poteſtatis plenitudinem* ſummo animo & negata hac in parte obedientia contradixiſſe; atque commoto Pontifici dictum eſſe, ab ipſis Cardinalibus: *Non expediret Domine, ut aliquid durum contra ipſum Epiſcopum ſtatueremus; ut enim vera fateamur, vera ſunt, quæ dicit; non poſſumus eum condemnare, catholicus eſt, imo ſanctiſſimus, nobis religioſior & ſanctior, excellentioris vitæ* &c. Matth. Pariſ. in Hiſt. Anglic. ad an. 1253. pag. 582. Legimus Beſſarionem Magnum illum Niceæ Archiepiſcopum & poſtea Cardinalem in Concilio Florentino ita pro Græcis verba feciſſe: *Scimus quæ ſint jura & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ, nihilominus ſcimus etiam, prærogativæ ejus quos terminos habeant, quantacumque facultate polleat Romana Eccleſia, minus tamen pollet ſynodo Oecumenica & Univerſali Eccleſia*. Tom. XVIII. Concil. pag. 155. Verum complura veteris Eccleſiæ hanc in rem occurrent teſtimonia, ubi de Romani Pontificis juribus ſpeciatim acturi commonſtrabimus, illas cauſas arduas, quæ a doctoribus medii ævi Romano Pontifici tribuuntur tanquam Monarchæ, nec quidem ex eſſentia Primatus profluere, primis ſeculis fuiſſe ignotas, dein quoque ſæpius contradictas, & tantum ſucceſſive in reſervata Romanæ Sedis abiiſſe.

§. 152. Ipſa dein quoque Concilia, quomodo ſupremam hanc ſuam authoritatem peculiariter defenderint, partim ex eorundem geſtis (*a*) partim ex eorundem ſententiis (*b*) abunde conſtat.

(*a*) Nunquam profecto auſi ſunt ipſi Pontifices de novo diſcutere cujuſquam Concilii Univerſalis decreta; ſynodi autem generales materias & quæſtiones a Romanis Pontificibus deciſas frequenter ad novum examen vocavere; imo ipſos depoſuere Pontifices. Jam hoc,

jam illud, ut tantum aliqua exempla demus, deprehendi poteſt,

1. In Concil o *Chalcedonenſi*, quod, licet Leo P. jam definiverat, duas eſſe in Chriſto naturas, eam tamen omnem controverſiam nihilominus denuo exploravit. Plures ſane e Patribus Leonis Epiſtola minime contenti, etiam Cyrilli eam, quæ eſt ad Neſtorium ſcripta, requirebant. Imo Atticus Epiſcopus Nicopolitanus, & plures cum eo inducias ſibi indulgeri petierunt, *ut tranquilla mente & non perturbato animo, quæ Deo placent, a ſanctis patribus ordinentur*; non igitur in hoc concilio Pontificis ſententiæ nude adclamatum, ſed id, quod Deo placet, expenſa Pontificis ſententia a SS. Patribus *ordinatum* eſt. Harduin. Tom. II. col. 286.

2. In Concilio Conſtantinopolitano generali ſexto, in quo eadem, quæ ab Agathone P. in ſynodo 125. Epiſcoporum Romana jam fuerant deciſa, pariter ac ſi nihil actum eſſet, diſceptabantur. Harduin. Tom. II. col. 1155. ſeq.

3. In Concilio Romano an. 963. quod depoſuit Joannem Papam XII. conf. Pfeffinger in Vitriario illuſtrato Tom. I. pag. 316. Launojus L. IV. Ep. 1.

4. In Concilio Conſtantienſi, deponente non tantum Benedictum propter ſchiſma, ſed & verum Pontificem Joannem XXIII. propter deformitatem vitæ. Harduin. Tom. VIII. col. 1335.

5. In Baſileenſi de auctoritate Eccleſiæ, & Decretis Conciliorum maxime Conſtantienſis executioni dandis adverſus Eugenium urgente: quam in rem legi merentur dicta Cardinalis Juliani Pontificii ad Baſileenſe Concilium Legati, ac Præſidis apud Martene & Durand. collect. ampliſs. Tom. VIII. pag. 643.

6. In Concilio Tridentino, quod Lutheri & Calvini cauſam a Leone X. definitam iterum pleniſſime dijudicandam reſumſit. De quo eodem Concilio hoc advertendum eſt, quod Canones & decreta ſuo nomine conceperit, quod ſua auctoritate Translationem ſynodi Bononiam ordinaverit, quod mandata Apoſtolica, mentales reſervationes, acceſſus & regreſſus a Romanis Pontificibus prius concedi ſolitas, coadjutorias Beneficiorum, quæ Epiſcopatibus & Abbatiis inferiora ſunt, aboleverit; quod varia circa cardinalium munus & obligationes, etiam reſpective ad Pontificem ſtatuerit, quod ipſi Romano Pontifici decreto ſuo certa committat, & ceterum univerſe hujuſmodi utatur formulis, quæ ſupremam ipſius Eccleſiæ ac Concilii poteſtatem, ejuſque ſupremum judicium manifeſtant, veluti: ECCLESIÆ *eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum* — ECCLESIA *catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat* — SPIRITU SANCTO SUGGERENTE *retinuit*. SANCTA SYNODUS A SPIRITU SANCTO, *qui ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & Pietatis*, EDOCTA, *atque* IPSIUS ECCLESIÆ JUDICIUM *& conſuetudinem ſecuta*, DECLARAT AC DOCET. Conf. Seſſ. IV. de edit. & uſu Sacr. libr. Seſſ. VI. in Proœm. de Juſtif. Seſſ. VIII. & IX. Præf. Seſſ. XIII. de Euch. Sacr. Seſſ. XIV. de Pœnitent. Can. 6. Seſſ. XXI. cap. 1. & Can. 4. Seſſ. XXII. de uſu Calicis. Seſſ. XXIII. cap. 1. & 2. Seſſ. XXIV. cap. 11. 18. 19. Seſſ. XXV. c. 1. & 7. &c. Atque quoties hoc Concilium de primariis Apoſtolicæ Sedis in Eccleſia juribus agit, quantumvis ea non tantum ſimplicis honoris, ſed & authoritatis eſſe declaret, hoc tamen ſolo vocabulo *authoritatis* & non unquam vocabulo *Juriſdictionis* utitur. Conf. Seſſ. VII. in fine præf. de Reform. & Seſſ. XXV. c. 21. Neque objice Seſſ. XIV. de pœnit. cap. 7. ubi legitur: *Pontifices maximos* PRO SUPREMA POTESTATE, *ſibi in univerſa Eccleſia traditio, cauſas aliquas criminum graviores ſuo poſſe peculiari judicio reſervare*. Enimvero hæc cum prioribus ex eodem concilio relatis locis ſi conferantur, non ſupremam poteſtatem *ſupra ipſam Eccleſiam ſeu ſupra ejus Rectores* evincunt, ſed potius hoc unicum ſignificant, quod Pontifici *in Eccleſia*, ea conſentiente, permiſſa ſit ſuprema poteſtas aliquas cauſas criminum ſuo judicio reſervandi; quod etiam concordat cum hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ ſane nos docet, hanc poteſtatem ſupremam Pontificiam ſuam originem habere ex permiſſione Epiſcoporum, qui ad graviores peccatores, coercendos & porro deterrendos, eoſdem proprio motu ſubinde Romam pro abſolutione miſerunt, dein vero hanc ipſam ſupremam poteſtatem a Pontificibus fuiſſe ultro prætenſam, iiſdemque hactenus permiſſam.

(*b*) Expreſſas conciliorum hac de re ſententias quod concernit, hujuſmodi cum primis edidit CONCILIUM CONSTANTIENSE

Seſſ. IV. his verbis. *Quod ipſa ſynodus in Spiritu ſancto congregata legitime generale concilium faciens &* ECCLESIAM CATHOLICAM REPRÆSENTANS, POTESTATEM A CHRISTO IMMEDIATE HABEAT, *cui quilibet cujuſcunque ſtatus vel conditionis* ETIAMSI PAPALIS EXISTAT, *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schiſmatis & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in* CAPITE *& membris*.

Et Seſs. V. his verbis: *Quod quicumque cujuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis* ETIAMSI PAPALIS, *qui mandatis aut præceptis hujus ſacræ ſynodi & cujuſcunque alterius* CONCILII GENERALIS *legitime congregati* — OBEDIRE CONTUMACITER CONTEMSERIT, *niſi reſipuerit*, CONDIGNÆ POENITENTIÆ SUBJICIATUR.

Edixit itaque hoc concilium tria. I. concilium repræſentare univerſam Eccleſiam, II. illud

lud poteſtatem ſuam immediate a Deo habere, & III. ejus præceptis omnibus eſſe obediendum. Quæ ſingula ſacræ ſcripturæ & traditioni conſentanea ſatis ſuperque a nobis demonſtrata ſunt. Chriſtus ſane pronuncians: illum, qui Eccleſiam non audierit eſſe habendum ut Ethnicum & publicanum, Pontifices non excepit. Non dubitavit quidem Bellarminus in L. I. de Concil. c. 7. aſſerere, *hoc concilium, quantum ad primas Seſſiones ubi definit concilium eſſe ſupra Papam, reprobatum eſt in Concilio Florentino & Lateranenſi ultimo*. Sed adverterunt eruditi Florentinum revera Conſtantienſi non derogare; adverterunt illa duo juniora concilia non univerſim pro generalibus fuiſſe agnita; adverterunt denique periculoſum eſſe confugere ad derogationem, quæ ſalva Eccleſiæ infallibilitate in dogmaticis deciſionibus concipi non poteſt, & in Propoſitionibus aliis quidpiam tanquam dogma non definientibus tanto magis relinqueret libertatem juxta conſilium Auguſtini *rem cum re, cauſam cum cauſa, rationem cum ratione componendi* L. III. contra Maxim. c. 14. Atque hinc Emanuel a Schelſtrate maluit dicere: verba reformationis, *in capite & in membris* primo decreto Seſſionis quartæ a Patribus Baſileenſibus inſerta; decreta autem Seſſionis quintæ nequaquam debita cum deliberatione condita fuiſſe. Attamen etiam hæc, utpote non vera, ſed tantum temere prolata, non magis ullum eruditorum hactenus convicere. Etenim uti ſatis oſtendit Alexander Natalis Hiſt. Eccleſ. Diſſ. 4. in Sec. XV. nil probant novem illi Codices Romani, in quibus, Schelſtratus ſe hæc verba, *& reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris* non deprehendiſſe dicit, dum 1. deprehenduntur in decem codicibus, qui Pariſiis in Bibliothecis Regia, Colbertina, Regalis Abbatiæ S. Victoris, Collegii Navarrici &c. extant, dum 2. deprehenduntur in Codicibus Germanicis & Belgicis teſte Petro Grabbe Mechlinienſi Ord. FF. Minorum de obſervantia in Editione Conciliorum Colonienſi an. 1551. aliiſque codicibus pluribus teſte Laurentio Surio Cartuſiano in Editione Colonienſi Conciliorum an. 1567. dum 3. jam Concilium Piſanum, cujus Conſtantienſe continuatio fuit, declarat, ſe omnino adtendiſſe *ad reformationem generalem Eccleſiæ in capite & in membris, & quia tam neceſſarium opus perficere non potuit, illud ad proximam ſynodum remittere*, dum 4. idem Concilium Conſtantienſe jam in Seſſione tertia dicit: *Hæc ſancta Synodus — pro reformatione & unione Eccleſiæ in capite & membris fienda in Spiritu ſancto legitime congregata — porro iſtud ſacrum Concilium non debet diſſolvi; neque diſſolvitur, uſque ad extirpationem præſentis ſchiſmatis, &* (quod bene notes contra eos, qui tantum in caſu ſchiſmatici vel dubii Pontificis ſuperioritatem Concilii admittunt, non adtendentes Joannem XXIII. a Concilio depoſitum, verum Pontificem & non propter ſchiſma, ſed malos mores depoſitum fuiſſe) *quouſque Eccleſia ſit reformata in fide, & moribus, & capite, & membris*, atque etiam in Decreto Seſſionis quintæ eadem nullo contradicente leguntur; taceo loca alia. Quod autem adtinet ad alterum aſſertum: *Decreta Seſſionis quintæ cum debita deliberatione & non omnibus conſentientibus fuiſſe condita*; facilem ita Schelſtratus ſuppeditat objectionem adverſariis noſtræ Eccleſiæ contra quævis Conciliorum decreta eandem exceptionem faciendi. Et cui perſuadebit, Patres, qui ad reformationem in capite & in membris efficiendam convenerant; qui omnium nationum hac in parte gravamina, petitiones & præmeditata conſilia ante oculos habebant, de hoc argumento minus deliberatum quid edixiſſe? Fuerint quidam Patrum abſentes, fuerint quidam diſſentientes; quid hoc obſtat decreto, quod denique tandem de re, uti ex actis concilii & teſtimonio Gerſonis patet, multum ventilata & examinata in concilio & a concilio pronunciabatur? Iis, qui ad caſum Pontificis hæretici, ſchiſmatici aut dubii vigorem hujus decreti reſtringunt, jam quidem ſupra reſpondimus; ſed licet eos inſuper interrogare, num ad hunc ergo caſum jure divino reſtricta ſit Concilii libertas. Hoc opinor tanto minus demonſtrabunt, quo certius eſt, Petrum etiam abnegato Chriſto adhuc manſiſſe Apoſtolum. Si autem a Concilio, de quo loquimur, hoc ſtatutum dicant, ſalva res noſtra eſt; ad eandem enim defendendam ſufficit Concilium ſtabiliſſe, quo caſu Pontifex Concilio obedire debeat, & ab eodem queat puniri. Ceterum ignoramus rationem, cur ſuccurrere poſſit Concilium, ſi Eccleſiæ noceat Pontifex hæreticus aut ſchiſmaticus; & cur ſuccurrere non poſſet, ſi is ita noceret morum pravitate, ut nonniſi ejus depoſitione Eccleſiæ proſpectum eſſet. Veneremur quæſo Romanum Pontificem ea, qua oportet ſincera, catholica, & omnino ſumma veneratione; ſed veneratio noſtra non etiam eum in caſum ſit extenuata, quo præjudicium generaretur Eccleſiæ, & qualem venerationem, uti mox videbimus, ipſi Pontifices piiſſimi ſibi exhibendam noluerunt. De hoc argumento, ne quid noſtro pruritu dictum putes, iterum iterumque commendo illa, quæ coram Imperatore & Eccleſia legitima congregata peroravit Eminentiſſimus Cardinalis Julianus Pontificis in Concilio Baſileenſi Præſes, origine Romanus, vir tam eloquentia & magnanimitate quam eruditione & *prudentia* celebratiſſimus; Vir primum in Academia Patavina Profeſſor Juriſprudentiæ; dein auditor Ro-

ta,

Digitized by Google

tæ, Protonotarius, Referendarius, graviſſimis in legationibus adhibitus, & tam Martino V. quam Eugenio IV. addictiſſimus apud Martenne & Durand collect. ampliſſ. Tom. VIII. pag. 643. Ejuſdem Cardinalis verba non tantum vigorem Concilii Conſtantienſis illuſtrant, ſed & commonſtrant, quantum ad eundem vigorem ſtabiliendum etiam laboraverit

Concilium Baſileenſe; quod videlicet Seſſ. II. & alibi non tantum ſimpliciter Concilii Conſtantienſis decreta firmavit, ſed ſumma etiam cum emphaſi toties repetiit, Pontificem eſſe quidem *caput miniſteriale Eccleſiæ, non tamen eſſe majorem Eccleſia, & eum debere obedire Concilio, & recognoſcere auctoritatem Concilii generalis juxta decreta ſacræ Conſtantienſis Synodi*. Conf. ſpeciatim apud Harduin. Tom. VIII. Col. 1323. 1327. 1340. Ceterum, quamvis ex allatis Conciliorum Geſtis & ſententiis eandam formemus concluſionem, quam Viri noſtræ Eccleſiæ doctrina ſanctitate & dignitate præcipui, uti mox pluribus percipiemus, formavere, ſcilicet, authoritatem Concilii eſſe ſupra Pontificem, tum tamen hæc ipſa propoſitio non ut dogma ſit præciſe ab Eccleſiæ hactenus definita, & credenda propoſita, non ſumus tam præcoces, neque illis Patrum Baſileenſium effatis, quæ in citatis locis legi poſſunt, quantumvis ſint *energetica*, ita abutimur; ut, *quod ad illam quidem propoſitionem adtinet*, ejus contradictores hæreſeos accuſemus, ſolliciti videlicet, ne in nos cadat, quod notavit Jo. Ludovicus Vives celeberrimus Seculi XVI. Theologus, nempe: *quæcunque ab ſcholæ placitis diſſident; ſcholaſtico Theologo ſunt hæretica, quod crimen ita vulgatum eſt, ut rebus quoque leviſſimis impingatur, cum ſit ipſum per ſe atrociſſimum*. Conf. Alexandrum Natalem in Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. Diſſ. 4. Artic. 3. In ejuſmodi enim argumento libentius aliorum celebrium authorum verbis, quam meis propriis loquor, & hactenus me locutum eſſe fateor. Gloriam enim univerſe non innovando, ſed, ſi quam mereor illis, quæ vetus Eccleſia tenuit, & vere eruditi prius ante me docuerunt, bono ordine & facili methodo ſuppeditandis obtentam volo. Et quæ etiam mea intercedunt cogitata, atque concluſa; ea omnia a proprio quodam contumaci judicio multum remotus, non tantum Eccleſiæ Catholicæ ſententiis, quas in rebus fidei & moribus ad ſalutem æternam pertinentibus infallibiles veneror, ſed etiam lubens cujuſvis meliora me edocentis judicio ſemper ſubmittam.

§. 153. Et tot præterea Patrum ſententiæ (*a*) tot ſententiæ ipſorum ſummorum Pontificum (*b*) adeo clare & ſolide pro ſuprema Eccleſiæ & Oecumenici Concilii authoritate loquuntur, ut nos nihil niſi ſententiam illorum omnium, noſtram feciſſe dici poſſimus.

(*a*) Non hic repeto illa SS. Patrum loca, ex quibus ſupra didicimus, Claves Eccleſiæ eſſe datas, cum Petro datæ ſunt, & quæ loca permoverunt Alexandrum Natalem: *ex his porro omnibus evidens eſt, inconcuſſum manere principium illud ex ſcriptura ſacra & traditione acceptum, & a S. Auguſtino aperte, frequenter, perſeveranter traditum & inculcatum, claves toti Eccleſiæ a Chriſto datas, immediate ipſi collatam a ſponſo authoritatem ligandi & ſolvendi; poteſtatem juriſdictionis in tota univerſitate Eccleſiæ principaliter reſidere, ut ſcholaſtici loquuntur, quod unum eſt ex fundamentis ſententiæ, quam Eccleſia Gallicana & ſacra facultas Pariſienſis propugnant, aſſerentes Concilium Oecumenicum ſuperius eſſe Romano Pontifice, ut agnoſcunt Dominicus Soto & Martinus Navarrus* in Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. & XVI. Diſſ. VIII. n. 54. Sed volo, reflectas potiſſimum ad ſupra citatum Auguſtini textum, quo Henricus de Haſſia apud Gerſon Tom. II. op. Col. 824. Cardinalis de Cuſa Lib. 2. de Concordantia Cath. cap. 17. Jacobus Almainus in libello de auctoritate Eccleſ. & Concil. cap. 7. & Joannes Major diſput. de auctoritate Concilii ſupra Pontif. apud Gerſon cit. T. Col. 990. & 1133. cumprimis etiam uſi ſunt, nempe reflecte ad ſupra citatum AUGUSTINI textum: *Ecce putemus illos* EPISCOPOS QUI ROMÆ JUDICARUNT, *non bonos fuiſſe judices*. RESTABAT ADHUC PLENARIUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ CONCILIUM, *ubi cum ipſis Judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent*, EORUM SENTENTIÆ SOLVERENTUR; ſit itaque Pontifex Romanus *viſibile* unitatis conſervandæ cauſa conſtitutum Eccleſiæ Caput, ſit primum Eccleſiæ conciliique Generalis membrum, ſed hoc ipſo etiam eſt pars Eccleſiæ, cui ſubditus eſſe deber juxta illud ejuſdem AUGUSTINI, L. II. de Bapt. C. 4. & juxta illud *Hieronymi*: *ſi auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe*. Diſt. 93. Can. 24. apud Grat. ſed conſule quæſo etiam præter AUGUSTINI lib. de quæſt. Evang. C. 26. IRENÆUM L. IV. adverſ. Hæreſ. C. 44. HILARIUM C. 27. in Matth. AMBROSIUM in C. 12. LUC. CHRYSOSTOMUM Homil. 78. in Matth. *Hieronymum* in C. 24. Matth. num illum textum Luc. XII. *quis eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam* eodem, ſicut Bellarminus, videlicet de Romano Pontifice, num vero de

Digitized by Google

ro de omnibus Epiſcopis exponant. Hanc, non eam Bellarmini expoſitionem apud dictos SS. Patres deprehendimus. Hinc etiam non cum Bellarmino ſed cum SS. Patribus, juxta quorum mentem ſcripturas interpretari nos concilium Trid. Seſſ. IV. jubet, ſentiendum eſſe merito judicamus. Atque dum in iſto, quod præcipuum adducit Bellarminus, SS. Patres ab eo diſſentiunt? non immorabimur illis locis, quæ is ex compluribus eorundem monumentis in ſententiam ſuam incaſſum detorquet. De prærogativa honoris & juriſdictionis inter ſingulos Epiſcopos Primati unitatis conſervandæ cauſa competente, non de quodam ſuper univerſam Eccleſiam aut eandem repræſentans Oecumenicum Concilium ſupremo Pontificis judicio Patres loquuntur. Conf. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Diſſ. IV. ad Sec. XV. & XVI. n.3. & cl. de Riegger l. c. §. 365. Digniſſima omnium notatu ſunt verba S. Bernardi. Hic S. Pater, quamvis jam fuerat temporibus doctrina Iſidoriana turbatis, atque ideo etiam de Pontificiæ Poteſtatis plenitudine, & de parte tantum ſollicitudinis Epiſcopis competente hic atque illic in ſenſu Iſidoriano ſcripſiſſe videri poſſet, illam tamen eandem poteſtatis plenitudinem, de qua cumprimis L. II. de Conſid. cap. 8. loquitur, tantum de *pleniſſima* vigilantia pro unitate totius catholici orbis & ipſorum Epiſcoporum, quorum quidem quiſque pro parte ſua de eadem ſollicitus eſſe debet, abſque idea monarchici regiminis intelligi debere, & a ſe intelligi, pulcherrime ita demonſtrat L. V. cap. 7. *Conſideres ante omnia ſanctam Romanam Eccleſiam, cui Deo auctore præes, Eccleſiarum* MATREM ESSE, NON DOMINAM: TE VERO NON DOMINUM EPISCOPORUM, SED UNUM EX IPSIS, PORRO FRATREM DILIGENTIUM DEUM *& participem timentium Deum.* Videlicet jam cap. 7. L. II. ſcripſit: *Quod habuit,* (Apoſtolus) *hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixi ſuper Eccleſias. Numquid dominationem? Audi ipſum;* NON DOMINANTES *ait,* IN CLERO, SED FORMA FACTI GREGIS. *Et ne dictum putes ſola humilitate, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio:* REGES GENTIUM DOMINANTUR EORUM, ET QUI POTESTATEM HABENT SUPER EOS, BENEFICI VOCANTUR. *Et infert* VOS AUTEM NON SIC, *Planus eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus.* Si ergo Tu, & tibi uſurpare *audes aut dominans Apoſtolatum; aut Apoſtolicus dominatum; Si utrumque ſimiliter habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic,* IPSI REGNAVERUNT, ET NON EX ME: PRINCIPES EXTITERUNT, ET NON COGNOVI. *Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam ſed non apud Deum, &c.*

(*b*) Pontificem Eccleſiæ tanquam ejus membrum ſubeſſe, ab ea reformari vel etiam puniri & exauctorari poſſe, ſatis indicant verba

S. GREGORII: *Certe* PETRUS *Apoſtolus* PRIMUM MEMBRUM *ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus Andreas & Joannes, quid aliud quam ſingularum plebium capita, &* TAMEN SUB UNO CAPITE CHRISTO *omnes ſunt membra Eccleſiæ*. L. V. Ep. 18. Edit. nov.

SIXTI III. *Ut omne corpus capite regitur, ita ipſum* CAPUT NISI SUO CORPORE SUSTENTETUR, FIRMITATEM & VIGOREM SUUM PERDIT, *& non tenet quam habuerat* DIGNITATEM. Epiſt. 10. ad Epiſc. per Illyr.

GELASII I. *Confidimus, quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, unius cujuſque ſynodi conſtitutum,* QUOD UNIVERSALIS ECCLESIÆ PROBAVIT ASSENSUS *non aliquam magis exequi ſedem præ cæteris oportere quam* PRIMAM. Epiſt. 13. ad Epiſc. Dardaniæ.

INNOCENT. III. *Si ſuper hoc abſque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam forſan* ORDINIS ET OFFICII *nobis periculum immineret*. Epiſt. 106. L. XV. ad Philippum Auguſtum ſe ab Ingeburge conjuge ſeparari cupientem; & porro: *in tantum mihi fides neceſſaria eſt, ut cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fidem committitur, poſſim ab Eccleſia judicari*. Serm. 2. de Conſecr. Pontif.

SYLVESTRI II. *Conſtanter dico, quod ſi* IPSE ROMANUS EPISCOPUS *in fratrem peccaverit, ſæpiuſque* ADMONITUS ECCLESIAM NON AUDIERIT, *hic inquam Romanus Epiſcopus præcepto Dei eſt habendus ſicut Ethnicus & Publicanus*, in Ep. ad Sequinum Senon. Archiepiſc.

Adde Julii I. Epiſt. ad orientales apud Conſtantium Col. 362. Leonis I. Epiſt. 78. ad Marcianum Imper. Cap. & plures hanc in rem Pontificum declarationes vide apud Launoium L. I. Ep. 7. & 8. L. II. Ep. 3. Et quod ſpeciatim adtinet ad Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis Decreta ab ipſis Pontificibus Martino V. Eugenio IV. agnita conſ. cumprimis Alexandrum Natal. in Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. & XVI. Diſſ. art. 3. ubi contra eos, qui dicunt a Martino V. Concilium Conſtantienſe tantum in materia fidei & conciliariter actis probata fuiſſe, recte ait: *Decreta Seſſionis quintæ ad materiam fidei pertinent: dogma enim fidei eſt: obediendum eſſe Concilii Generalis decretis & mandatis in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis & reformationem Eccleſiæ. Et quamvis dogma fidei non ſit, Concilium eſſe Romano Pontifice ſuperius, adeo, ut hæretici ſint, qui contrarium aſſerunt,* QUIA DOGMA FIDEI ESSE NONDUM ECCLESIA DEFINIVIT, *ad materiam tamen fidei & illud*

perti-

pertinet, ceu Doctrina ſcripturæ ſacræ & traditioni conſona, & ut talis a concilio generali declarata & confirmata. Hæc etiam decreta CONCILIARITER, *id eſt, in ſolemni Seſſione poſt accuratum examen, & maturam deliberationem condita ſunt. Illa ergo a Martino V. ſunt adprobata & confirmata.* Et porro — *Accedit Eugenii IV. & Pii II. Conſtantienſem ſynodum generatim, indefinite, & abſque ulla prorſus exceptione vel reſtrictione Seſſionum aut decretorum tanquam Oecumenicam approbantium, & confirmantium auctoritas.* Conf. etiam Berthier, qui fuit ſocietatis Jeſu, Hiſt. de l' Egliſe Gallicane Tom. XVI. pag. 126. qui ibid. ait, decreta Conſtantienſis Concilii a Martino Papa in eadem ipſa ſynodo non ſolum in materia fidei, ſed etiam morum probari. Et quis in hujus concilii actis vel modice verſatus non concludet, Martinum V. in Seſſione 44. alia ipſa edita Bulla, qua futurum Concilium indixit, & quæ incipit: *Cupientes ac volentes decreto hujus generalis concilii ſatisfacere inter alia diſponentes:* confeſſum eſſe, ſe obedire debere ſanctionibus Concilii & ſpeciatim capitulo *frequens*, quo Concilium hanc futuri Concilii indictionem præcepit; quis in ejuſdem Concilii actis vel modice verſatus ignorat, Martinum V. poſt ſuam inaugurationem ſtricte ſervaſſe illud, quod Patres Seſſ. XXXIX. præcepere, ſcilicet, ut Pontifices juxta præfixam a Concilio formulam ſtatim poſt ſui electionem fidem profiterentur. Ut plura taceam; plura enim & ſingula monumenta poteſtatis a Concilio Conſtantienſi primum in Joannem XXIII. & dein in Martinum V. & quemvis futurum verum Pontificem exercitæ atque agnitæ refert Richerius in Hiſtoria Conciliorum general. L. II. cap. 3. Edit. Colon. 1681. pag. 72. qui idem Auctor in L. III. ejuſmodi dein monumenta etiam in Concilio Baſileenſi edita, & ab Eugenio IV. agnita commonſtrat. Conf. etiam l'Enfant Hiſtoire du Concile de Conſtance Tom. I. L. II. pag. 150. ſeq. & Journal du Concile Tom. II. pag. 387. ſeq. item Chaſtenet Hiſt. & Journal du Concile de Coſtance, nec non Cochleum in Hiſt. Huſſit. L. IX. Unionem Electorum an. 1446. in Mulleri Theatro Comitiorum Tom. I. pag. 278. Guoeni Cod. diplom. Mogunt. Tom. IV. pag. 290. ubi legitur Eugenius ad poſtulationem nationis Germanicæ non qualem qualem, ſed ſtrictam agnitionem & obſervantiam decretorum omnium Concilii Conſtantienſis, ac quorumcunque aliorum Conciliorum generalium urgentis ita reſcripſiſſe: *Concilium generale Conſtantienſe, decretum frequens, ac alia ejus decreta, ſicut cætera, alia concilia catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſarum poteſtatem, auctoritatem, honorem & eminentiam ſicut & cæteri anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis nequaquam deviare intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur.* Illud quod eruditiſſimus Nellerus dicit in Apolog. pro ſynodo Romana Joannem XII. deponente; nimirum: Synodo Provinciali Romanæ, ſejunctæ etiam ab Eccleſia reliqua, jus competere Pontificem ob ſolam morum deformitatem exauctorandi, quia ſecundum antiquiſſimam Eccleſiæ diſciplinam cuivis Concilio Provinciali jus Metropolitam ſuum exauctorandi competebat; ergo, perſpiciens, in ſummo Pontifice non modo Romanum Metropolitam conſiderandum eſſe, ſed & Primatem Univerſæ Eccleſiæ, etiam ab hujus judicio & examine, non vero a ſententia ſynodi Provincialis remotionem primatis dependere arbitror; neque ſententiam talem ratam fore arbitror, niſi, quod ſæpius contigit, etiam hic particularis ſynodi ſententia in totius Eccleſiæ ſententiam receptione & ratihabitione abiret. Conf. Cl. Schmidt. Inſtit. Jur. Eccleſ. Germaniæ Tom. I. §. XXXIII. de quo Viro ceteroquin erudito & concinnioris methodi amante dolendum, quod Bellarmini denique ſui placita dimittere nolens, uti jam in meo ordine Princip. Juriſpr. Eccleſ. P. I. §. 112. monui, ſaltem quantumcumque potuit, ultramontanis principiis ſalvandis, & ſpeciatim in hac materia decretis Patrum Conſtantienſium & Baſileenſium infirmandis tantum operæ jam profecto irritæ impenderit, atque, etiam hic, ceu toties alibi, Febronium immerito proſequatur.

§. 154. Addamus denique Virorum pietate, ſcientia & dignitate celeberrimorum teſtimonia (*a*). Et obſervemus rurſum, quod etiam ii, qui non dicam in temporalibus (*b*) ſed tamen in ſpiritualibus Monarchicum Pontifici regimen tribuunt (*c*), Eccleſiæ noſtræ peſſime conſulant, atque imprudender Primatum exponunt ludibrio (*d*)

(*a*) Intellige iterum cumprimis Eccleſiam Gallicanam, quæ & factis & monumentis ſuorum tam Antiſtitum, quam aliorum doctrina & pietate inſignium virorum ſuperioritatem Eccleſiæ Conciliive œcumenici præ Pontifice ſemper ſtrenue defendit. Sic *Philippum Pulchrum* an. 1303. adhærente ei clero Gallicano contra *Bonifacium VIII.* ad concilium adpellaſſe novimus; ſed novimus quoque ejuſmodi adpellationem Eccleſiæ Anglicanæ ann. 1246. cum eam nimia tributorum exactione premeret *Innocentius III.* porro Mich. Cæſenas ord. min.

Gene-

Generalis, cum a Joanne XXII. hæreſeos condemnaretur; Ludovici Bavari; Cardinalium Gregorii XII. Cardinalis Dominici Capranica ab Eugenio IV. Univerſitatis Pariſienſis a Bulla Nicolai V. data favore religioſorum mendicantium adverſus Jura Parochorum; Sigiſmundi Ducis Auſtriæ a Bulla Excom. Pii II. Joannis Dauvet Procuratoris Caroli VII. Reg. Galliæ adverſus Bullam *execrabilis* prohibentem adpellationes ad futurum Concilium. Diecheri Archiepiſcopi Moguntini propter Exceſſus taxæ Annatarum; Philippi I. Archiducis Auſtriæ qua Ducis Brabantiæ ob exceſſus Alexandri VI. in Collatione beneficiorum; Reipublicæ Venetæ ab excommunicatione Julii II. Caroli V. Imperat. a Decretis Clementis VII. &c. &c. Vid. Gallia Criſt. Tom. II. Col. 1188. nov. edit. Freherus ſcript. Rer. Germ. Tom. I. in Apend. pag. 19. & Tom. II. pag. 121. & 125. Waddingus Annal. Minor. ad an. 1328. n. 18. Wilkins Concil. Magn. Britaniæ Tom. III. pag. 485. Fleurii Hiſt. Eccleſ. Tom. XX. L. 100. n. 8. Tom. XXI. L. 105. n. 21. Tom. XXIII. L. 3. §. 14. L. 111. n. 14. Tom. XXV. L. 125. §. 13. & 54. Cod. Diplom. Mogunt. Tom. IV. p. 344. Spondanus Continuat. Annal. ad 1467. n. 3. Raynaldus ad a. 1328. 1428. n. 64. 1509. n. 6. & 13. Goldaſti Conſtit. Imp. Tom. I. pag. 500. Lunig Spicileg. Eccleſ. P. I. pag. 435. Boſſuet. deſ. Decl. Cler. Gall. L. XV. a cap. 26. uſque 31. Matth. Pariſ. in hiſt. maj. pag. 953. de Marca L. IV. cap. 16. §. 7. Conſ. quoque Reverendiſs. Abbatis Rautenſtrauch. I. E. §. 191. ubi hanc de ſuperioritate Concilii Sententiam non tantum Sententiam noſtrarum Univerſitatum Viennenſis & Pragenſis, ſed etiam aliarum olim communem fuiſſe demonſtrat, ſimulque reſpondet Godefrid. Kauffmann in Apol. Theol. contra Febronium diſſ. I. §. 10. n. 43. mutatam Colonienſis Univerſitatis Sententiam pro ſe alleganti.

(*b*) Temporalem enim non eſſe Pontificis poteſtatem niſi eum in illo, quod ipſi proprium agnoſcitur, territorio ut Principem ſpectes; atque adeo nullum ei in alia regna temporale jus competere, abunde in præmiſſa utriuſque poteſtatis diſtinctione edocti ſumus.

(*c*) Rem omnem evictam putat Card. Orſi hoc argumento: Monarchicum regimen eſt optimum, præſtantiſſimum & ad conſervandam reipublicæ pacem & unitatem imprimis aptum & idoneum: ergo Deus, qui Eccleſiam ſuam certe voluit optima & præſtantiſſima forma adminiſtrari & arctiſſimo vinculo omnes gentes in unum corpus conſtringi, hoc regimen inſtituere debuit. Quaſi vero ab uno alterove Regno ad totum Chriſtianum orbem; a Regno temporali ad ſpirituale, a modis externam felicitatem promovendi ad media æternæ ſalutis, a vinculo civili vi imperatoria ſuſtinendo, ad communionem ſanctorum, quæ pietate, charitate, humilitateque continetur, paritas atque concluſio valeret. Profecto paritatem nullam, nullam concluſionem hac in parte valere nominatus Cardinalis clare intelligere debuiſſet ex illis Chriſti verbis: *Reges gentium dominantur eorum*, VOS AUTEM NON SIC. Et omnino infirma ejus eſt reſponſio, *hoc tantum monarchiam ſecularem & faſtuoſam, non monarchiam Eccleſiaſticam excludi*. Enimverò Salvator fundaturus Regimen non ſeculare, ſed Eccleſiaſticum, quoad hoc Apoſtolos poteſtate æquales eſſe voluit; quoad Eccleſiaſticum Regimen audivimus ſupra dicentem Cyprianum: *hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi honoris & poteſtatis; & Eccleſiæ*, non regni temporalis *fortitudinem ſuper omnes ex æquô ſolidatam fuiſſe* pariter jam ab Hieronymo percepimus. Scripſi jam in Ord. Princip. Juriſprud. Eccleſ. P. I. neceſſe quidem non eſſe, ut ex Eccleſiaſtico Regimine unam ex formis Imperii Ariſtocraticis exſculpamus, ceterum Tournelii eſſe ſententiam: Regimen Eccleſiæ plus dici poſſe *Ariſtocraticum, ſi attendatur ad ſupremam primariam & infallibilem regendi auctoritatem, quia hæc in una Eccleſia univerſali ſeu coacta ſeu diſperſa reſidet*. Ludicrum non minus argumentum eſt illud: Pontifex eſt caput Eccleſiæ, ergo eſt ſupra concilium. Admittimus enim: eum eſſe caput; ſed miniſteriale, non principale. Neque iterum hic paritas aut concluſio ab humano capite ſumi poteſt. Hoc enim ſi præcidatur, corpus jacet, ab hoc in totum reliquum corpus ſpiritus animales derivantur. In Eccleſiam vero non Pontifex, ſed Chriſtus ſpiritum infundit. Paucis! quia non omni momento concilium celebrari, non continuo & tam cito ac opus eſt, communis Eccleſiæ diſperſæ conſenſus & errorum condemnatio haberi poteſt, unitatis conſervandæ cauſa in Eccleſia noſtra miniſteriale caput adeſt; inde vero non ſequitur, Pontificem etiam ſupra Eccleſiam in concilio collectam aut diſperſim conſentientem, ut principale caput eſſe conſtitutum. *Non eſt comparandum* ſcripſerunt Patres Baſileenſes ad Eugenium *corpus Eccleſiæ aliis politicis corporibus civitatum, & univerſitatum, quia in medio hujus corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit, ne erret*. Et reflecte ad verba Sixti III. atque reliqua ſuperius (§. 153. n. b.) a nobis relata. Tantundem denique ea valet ratiocinatio, qua Pontificem vicarium Chriſti & proinde veluti Chriſtum ſupra Eccleſiam & concilium eſſe aſſerunt. Etenim *quivis Epiſcopus Chriſti vicarius eſt, quatenus quivis perſonam Chriſti ſuſtinet, & id, quod Chriſtus fecit, imitatur*; ut jam alibi ex Auguſtino, Cypriano, Baſilio, & Ambroſio retuli. Id quod etiam Con-

Concilium Meldenſe an. 745. ita eloquebatur: *Nos omnes licet indigni, Chriſti tamen vicarii & Apoſtolorum ſucceſſores* — & Concilium Epiſcopi Remenſis & Rotomagenſis Provinciæ an. 858. ad Ludov. Reg. Germaniæ hiſce verbis: *Rectores ac Paſtores Eccleſiarum, ut Patres & Chriſti vicarios colite.* Audi quoque ALMAINUM: *Epiſcopus particularis non ſolum gerit vices ſuæ Diœceſis in ordine ad populum ſibi commiſſum; ſed etiam* TOTIUS ECCLESIÆ UNIVERSALIS *in ordine ad eundem populum; alias non poſſet aliquem ſimpliciter excommunicare: ut bene arguit Scotus in IV.* de Author. Eccleſ. cap. VIII. reſp. ad 3. arg. Tom. II. Gerſon ad col. 997. abſque dubio Summus Pontifex hoſce inter Vicarios Vicarius primus eſt, verum hic primatus nondum Monarcham efficit; atque hinc etiam inde, quod Chriſtus Eccleſiæ ſponſus ſit, non ſolus Pontifex, ſed quivis Epiſcopus qua Chriſti Vicarius, Eccleſiæ ſponſus eſſe defendi debet. *Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus non plus quam Epiſcopus eſt, in dignitatibus Eccleſiaſticis, ſecundum quod eſt homo*, ait Wilhelmus Epiſcopus Pariſienſis apud Pereira *in Tract. de Epiſcoporum poteſtate in dicationis ſcripto ad Venerab. Epiſcopos Portugalliæ*, pag. VII. & VIII. His omnibus adpenſis minime omnium nos morantur ſcholaſtici diſtinctione illa ſua inter *agnos & oves*, quaſi vero per hos in *Epiſcopos*, per illos in reliquos *fideles* ſoli Petro ſuprema & Monarchica poteſtas collata fuiſſet. Etenim ſcholaſticis eorumque diſtinctionibus potior eſt nobis S. Auguſtinus ita ſcribens: *cum Petro dicitur, ad omnes dicitur paſce* OVES; de agon. c. 30. & ipſe B. Petrus ad Presbyteros ſuos, inquit, *paſcite, qui in vobis eſt*, GREGEM DEI. I. Petri c. 5. v. 2. Prætereo textus omnes, quos Bellarminus in ſententiam nobis contrariam torquet; ſed ideo tantum, quia poſt fuſam illorum recenſionem denique idem dicturi eſſemus, quod nunc ſtatim & generatim dicere poſſumus, videlicet: nullum ſcripturæ locum, quem pro ſe adſert Bellarminus, Patrum conſenſu ita accipi & roborari; uti demonſtrat Launojus Tom. I. L. 2. Ep. 1. Alexander Natal. Hiſt. Eccleſ. Tom. IX. Diſs. 4. Art. 1. §. 3. Sed quamvis SS. Patrum & Eccleſiæ interpretatio ſufficiens ſit, conſule tamen, quæſo, etiam naturales interpretationum regulas, an ex cap. XII. Lucæ I. ad Timoth. cap. 3. Joan. ultimo, ad Ephe. 4. & 5. Luc. XXII. 31. quoddam Monarchicum ſummi Pontificis regimen rite philoſophando eruatur.

(*d*) *Quid tandem* inquit Melch. de loc. com. L. 5. c. 5. *adverſus hæreticos diſputando ille proficiet, quem viderint non judicio ſed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ ſuſcipere — — Non eget Petrus mendacio noſtro, noſtra adulatione non eget.* Quibus ſubjungit Van-Eſpen: *quid dicam? non tantum contra hæreticos non proficiunt, quia neſcio, quo Zelo immoderato futilibus ac vanis argutiis ultra verum auctoritatem Pontificiam extollunt: ſed ſæpius anſam præbent, ut ipſum indubitatum Romani Pontificis Primatum hæreticis odioſum reddant, ac ipſorum opprobriis & ludibriis exponant. Hæc etenim eſt rerum, quas oportet veriſſimas eſſe, natura, ut ſi in quibuſdam vel minimum falſum quidpiam ineſſe deprehendatur, confeſtim omnem amittant auctoritatem & majeſtatem.* Diſs. Canon. de diſp. c. 2. Pulcherrime etiam ita Zallwein: *Fatemur rem eſſe periculoſam quidquam Authoritati Pontificis detrahere, imo vero Eccleſiæ vel maxime intereſſe, ut illius authoritas ſalva & incolumis conſervetur. Verum ſimul in id eſſe incumbendum novimus, ne illam ultra ſuos limites extendamus nec ſublimemus, incerta pro certis venditemus, & talia privilegia eidem aſſeramus, quæ convincenter probare non poſſumus; ſed cogitemus dari zelum exuberantem, ut ait Apoſtolus, non ſecundum ſcientiam, errandi periculo obnoxium. Aut enim authoritatem Pontificiam nimium deprimimus? & Eccleſiæ noſtræ ſummopere nocemus; aut illum cum exceſſu extollimus? & facile contingere poteſt, ut ſi illud privilegium vel in unico caſu defuiſſe monſtrari valeat, tota Eccleſiæ authoritas vacillet, aut omnino corruat, ut adeo prudens dubium remaneat, pluſne noceant Eccleſiæ moderati defenſores Poteſtatis Pontificiæ, quam illius exceſſivi vindices.* Tom. I. q. 4. 4. cap. 4. §. 4. Tales profecto vindices parum contribuiſſe ad reducendos in fide errantes, & integritati morum inter fideles reſtituendæ certo nocuiſſe, teſtium omni majorum exceptione effata comprobant. Conf. Card. Alliaco Tract. de neceſs. reform. Eccleſ. in cap. & in membr. cap. 29. in Act. Concil. Conſtant. apud Herman. Van der Hardt Tom. I. P. VII. pag. 308. Gibert Corp. Jur. Can. in Prol. I. Tit. 30. Sect. 2. Prop. 1. pag. 168. Gerſon Tract. de reform. Eccleſ. in Concil. Univ. cap. 24. Andreas Epiſcopus Magor. in gubern. Concil. P. III. pag. 181. Et an non etiam Paulo III. Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum de Doctoribus authoritatem Pontificiam nimium extendentibus hæc verba edixit: *Sanctitas Tua probe noverit, principium horum malorum inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices Tui prædeceſſores, prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coacervarunt Magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab iis diſcerent, quid facere deberent, ſed eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Inde effectum eſt, præterquam quod principatum omnem ſequitur adulatio,*

ut

ut umbra corpus; difficillimuſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quod confeſtim prodirent doctores, qui docerent Pontificem eſſe dominum omnium beneficiorum, ac ideo cum Dominus jure vendat id, quod ſuum eſt, neceſſario ſequi, in Pontificem non poſſe cadere ſimonia, ita quod voluntas Pontificis, qualiſcumque ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur, ex quo procul dubio efficitur, ut quidquid libeat, etiam liceat. Ex hoc fonte tanquam ex equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus. Sed de hiſce omnibus porro plura occurrent infra, ubi inter ſpecialia Primatus Jura, etiam de iis, quæ primatui ſucceſſu temporum advenere, dicere debebimus.

CAPUT VII.

De Conſenſu Eccleſiarum.

§. 155. Cœtus Rectorum Eccleſiæ ad hanc non tantum in Concilio, quod ſæpe nequit celebrari, ſed & extra Concilium regendam a Chriſto ſacra illa poteſtate inſtruebatur; atque hinc *eamdem vim*, quam habent congregatorum in Concilio, reliquoſque repræſentantium decreta, etiam diſperſorum Epiſcoporum conſenſus, ſi ad quidquam, quod ſub definitionem Eccleſiæ cadit, definiendum ac determinandum ſatis ſit manifeſtatus, non habere non poteſt (*a*).

(*a*) Novimus ſane, toties & maxime primis Eccleſiæ ſeculis, ubi propter perſecutiones concilia celebrari non poterant, ſolo Eccleſiarum conſenſu hæreticorum errores repreſſos fuiſſe. Conf. Alex. Natalis Hiſt. Eccleſ. Tom. III. Sec. I. c. XI. Euſebius L. IV. c. 7. L. V. c. 16. L. VI. c. 33. 37. &c.

156. Patet autem etiam hic ſtatim ante alia; veluti ad concilia non quoſque fideles, ſed tantummodo Epiſcopos vocari oportet, (§. 147.) ita & *conſenſum Eccleſiarum* abſque conſenſu omnium fidelium requiſito, obtineri (*a*), ſi modo eminens Epiſcoporum conſenſus doceatur.

(*a*) Melch. Canus Lib. IV. in loc. Theol. cap. poſtr.

§. 157. Sed in hoc ipſo eruendo, num univerſalis Eccleſiæ conſenſus adſit, ſumma & multiplici opus eſt conſideratione (*a*).

(*a*) Nondum ſane hic ſufficiens documentum, ſi etiam ſcholaſtici dicant: *Ita catholici omnes*. Conf. Principia Juris Eccleſ. Catholicorum Viennæ 1761. cap. 4. §. 5. Scholaſticos nempe, ſæpe allegando ſententiam *communem contra communem* ſe invicem elidere manifeſtum eſt.

§. 158. Enimvero requiritur I. circa ipſum objectum conſenſus Eccleſiarum, de quo loquimur, ut non ſit ex adiaphoris, ſed, uti jam inſinuavi, ſub definitionem Eccleſiæ cadat, atque neceſſitas vel utilitas fidelium ejus exigat deciſionem (*a*) II. ut conſenſus ille Eccleſiarum de tali objecto ſit omnino catholicus, ſeu ubique ſemper & ab omnibus præſtitus. (*b*) III. ut de hoc ipſo conſenſu certiſſime conſtet (*c*). Quæ quidem requiſita ſi adſint, quivis profecto catholicorum deciſionem, in fide & moribus ad æternam ſalutem neceſſariis infallibilem, etiam in conſenſu diſperſorum Epiſcoporum non recognoſcere non poterit (*d*).

(*a*) Hinc S. Gregorii M. & Vincentii Ferrerii territiones, nec non negatio antipodum erant extra objectum talis Eccleſiarum conſenſus, quem pro principio Juris Eccleſiaſtici agnoſcimus. Conf. laudat. Princip. §. 6.

(*b*) Eſt enim Regula Vincentii Lirinenſis: *id proprie Catholicum eſſe, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt*; in comm. 1. c. 3. Et cum ipſa concilia, uti ſupra vidimus §. 148. n. c. eo ſemper ſint intenta, ut, quantum fieri poteſt, unanimis Patrum conſenſus obtineatur, & ſubinde demum tam numero quam pondere firmatam edant ſententiam; quomodo non circa communem conſenſum diſperſorum Epiſcoporum, qui non tam facile, quam ille in Concilio collectorum, ſeſe manifeſtat, eædem, ſi non majores cautiones erunt neceſſariæ? Sentiebant ſane de hæreticis

non rebaptizandis eum Stephano Epiſcopi innumeri contra Cyprianum; & huic adhærebant multo pauciores; attamen propterea tum cauſam nondum finitam fuiſſe nobis jam dixit S. Auguſtinus. Eundem S. Patrem de hoc argumento audivimus porro dicentem: *Neque nos tale aliquid auderemus aſſerere, quale Stephanus juſſit, niſi* ECCLESIÆ CATHOLICÆ CONCORDISSIMA AUTHORITATE *firmati: cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur*. Et pariter Tournelius de Eccleſia quæſt. III. art. 5. ait: *in controverſia de baptiſmo ab hæreticis collato, tempore Stephani S. Pontificis & S. Cypriani non fuiſſe moralem unanimitatem, ſaltem completam & perfectam*. Hinc etiam laudat Boſſuet Pium IV. quod ſcripſit, *ut eæ tantum definitiones ederentur, in quas Patres unanimi conſenſu conſpirarent, dum* IN FIDEI DECRETIS NON QUID PRIVATI QUIQUE SEORSIM SENTIANT, SED QUID COMMUNIS TRADITIO OMNES DOCEAT, ATTENDENDUM EST. Def. Cler. Gall. L. 1. cap. 2.

(*c*) Ut igitur ex ſolo conſenſu ſtabiliatur dogma fidei, aut ritus neceſſarius, debet conſtare circa illud dogma, circa illum ritum neceſſarium, quovis ſeculo ſerie non interrupta, & ſine mutatione hanc fuiſſe mentem totius Eccleſiæ; cum Eccleſia poſterior non nova dogmata ſtatuere, non mutare vetera, ſed hæc tantum eruere queat, ut ſcribit Lirinenſis. Conſtabit autem de tali conſenſu, ſi in eundem ſynodos univerſales, nationales, provinciales, diœceſanas conſpirare ex earundem libris ſymbolicis, literis communicatoriis, ritualibus, aut ex ipſa univerſæ Eccleſiæ conformatione pateat. Parum enim refert ſeu conſenſus Eccleſiæ *expreſſus*, ſeu tacitus habeatur. Conf. Franc. Ferrarii de antiquo Eccleſ. Epiſt. genere. Turnel. Curſ. Theol. II. q. III. art. II. p. m. 65. Conf. laudat. Princip. §. 6. 7. 8. 9. Ceterum quia ad illum, qui unitatis conſervandæ cauſa Primatum & honoris & juriſdictionis in Eccleſia habet, ſeu ſummum Pontificem ſpectat invigilare, ut *ſalus Religionis atque integritas per univerſum orbem conſervetur, unam omnes eamque ſanam de moribus doctrinam ſectentur, & ritus denique in adminiſtrandis Sacramentis ſibi ſimiles ubique adhibeantur*, & propterea ad eum *cuncta ſtatum Eccleſiæ univerſalem concernentia referri debent*; præ aliis & vel maxime, ſi periculum in mora eſt, primæ hujus Cathedræ rationem & haberi poſſe & eſſe habendam, lubentes & pro debita erga ſedem Romanam veneratione admittimus. Quamquam enim ipſa fides & unitas ab univerſali Eccleſia repetenda eſt, quia tamen id, quod in univerſali Eccleſia agitur, ad primatum refertur, ut is facilius miniſterium ſuum Eccleſiaſticæ conformitati impendat, merito ſane eo primum reſpicitur, & ſaltem interim eidem ſedi ad evitandum omne periculum ab unitate recedendi tutiſſime adquieſcitur. Conf. S. Auguſt. Epiſt. 162. Cyprianus Epiſt. 52. Baſilius Epiſt, 230. Hieronymus apud Grat. cauſ. XXIV. q. 1. Can. 25. item in Epiſt. 15. alias 77. Cod. Theodoſ. L. XVI. Tit. 1. Leg. 2. Ep. Concil. Afric. ad Cæleſtinum P. a. 425. apud Conſtant. Col. 1060. n. 2. & 1062. n. 5.

(*d*) Jam ſcripſi in Ord. Princip. Jur. Eccleſ. P. I. L. II. cap. 2. §. 97. not. a. Febronium haudquaquam negare infallibilitatem Eccleſiæ diſperſæ, ſed tantummodo ſummas ab eo cautelas circa aſſerendum communem Eccleſiæ conſenſum, deducendas inde Univerſalis Eccleſiæ ſententias proponi. Omnia ſane ejus de hoc argumento ſenſa eo redeunt, quod ab Eccleſiæ judicio in Concilio *differat univerſalis & uniformis obſervantia Eccleſiæ in materia fidei*, NON QUIDEM QUOAD INFALLIBILITATEM, *bene vero, quoad alios effectus, qualitates, accidentalia, directionem* &c. quæ ſunt ipſiſſima ejus verba in Edit. altera 1765. Tom. I. cap. 6. §. 8. pag. 429.

§. 159. Et quum maxime caveas velim; ne illico pro Eccleſiæ praxi & obſervantia vendites, aut accipias illud, quod ſæpe in rebus diſciplinam concernentibus contra veterum ſtatuta tantum toleratur. Mera enim tolerantia quorumdam, quæ tam cito ſimul eliminari non poſſunt, neque adprobatio eſt, neque ipſi toti Eccleſiæ imputanda; cum canones corruptelis ejuſmodi contrarios Eccleſia non tantum non abrogaverit hactenus, ſed potius & in Conciliis & extra hæc manifeſtaverit, paſtores atque doctores ſuo officio non melius, quam hiſce canonibus inculcandis ſatisfacere poſſe (*a*).

(*a*) Inſpice omnia retro ſanctiſſimæ noſtræ Eccleſiæ concilia, quomodo partim decreta, partim ſal em intentionem ſuam contra tales corruptelas ediderint; ſcilicet, Auguſtinus ait, *Eccleſia* inter *multam paleam conſtituta multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam non adprobat*. Ep. 55. alias 119. cap. 19. Perlege Eccleſiaſticam hiſtoriam & hiſtoriam rei litterariæ, & deprehendes quomodo hiſce obviam itum, & corruptelis de tempore in tempus occlamatum ſit, non tantum ab Hadriano VI. ſed a pluribus aliis ſummis

Digitized by Google

mis Pontificibus per decreta; a tot Epiſcopis per elegantiſſimas literas paſtorales; a tot paſtoribus & doctoribus ſacris, qui ſibi famam bonæ doctrinæ moralis ſunt promeriti; imo a tot ſcriptoribus laicis, in zeloſorum literatorum claſſe notiſſimis, qui conſiderarunt illud Nicolai I. *fides univerſalis eſt, omnium communis eſt, non ſolum ad Clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos*. Diſt. IV. Cap. 36. Et quales ſuo tempore hiſce verbis excitavit Godofredus Abbas Vindocinenſis: *Nemo eſt, qui contradicere palam non debeat, & poſſit. Nam ſi Prælati non habeant authoritatem, habent tamen Chriſtiani vocem*: Opuſc. II. de inveſtitura. Intelligitur Abbatem loqui de contradictione & voce, quæ intra terminos reverentiæ, decori, aliorumque officiorum ſeſe continet. Quapropter tam parum adverſarii noſtræ Eccleſiæ eandem corruptelas quaſdam objectando ſuſpectam reddere queunt, quam parum quidem ad hoſce adverſarios confundendos ex parte ſua conferunt ii, qui pro ejuſmodi corruptelarum defenſione præſidium in praxi Eccleſiæ quærere præſumunt. Quaſdam corruptelas Eccleſia, nec quidem tolerat, ſed ei impinguntur. Uti hoc etiam notat Cl. a Kautzde proceſſibus contra ſagas, quos olim Eccleſiæ praxi defendere volebant.

CAPUT VIII.

De Hierarchia Eccleſiæ Catholicæ in genere.

§. 160. Poteſtas ſacra a Deo inſtituta, quatenus porro; partim jam ipſa *divina* partim vero *humana* inſtitutione, ita in certos gradus diſtributa eſt, ut ſecundum *eoſdem gradus* perſonæ ſacræ in Eccleſia Chriſti & *miniſterium* (*a*) & *regimen ſpirituale* (*b*) exerceant, *Hierarchia* (*c*) dicitur (*d*).

(*a*) Sub miniſterio intelligitur *Facultas Euchariſtiæ myſterium conficiendi vel circa illud miniſtrandi*.

(*b*) Regimen ſacrum duplex eſt: aliud *Internum*, quod in populo fideli erudiendo & per Sacramentorum adminiſtrationem ad ſalutem æternam docendo ſitum eſt. *Externum* aliud, quod poteſtatem modo *ſpirituali & ad finem Spiritualem* leges ferendi, judicandi & concernendi complectitur. Omne igitur externum Eccleſiæ Regimen non eo ſenſu externum eſt, quaſi ſe in temporalia atque civilia exercere poſſet, ſed tantummodo eatenus, quatenus ad dirigendas illas fidelium actiones, quæ ad Dei cultum dirigi & queunt, & debent, neceſſario externa quædam agendi ratio requiritur.

(*c*) Hinc S. Dionyſius vel quiſquis demum fuit auctor Tract. de cæleſti Hierarchia, eam generatim definivit, quod ſit *ordinatio comprehendens ſub ſe diverſos gradus*. Eædem autem perſonæ ſacræ, quibus hæc *ſors* obtigit, ut pet collationem diverſorum ordinum & legitimam vocationem immediate divino ſervitio manciparentur, jam primis Eccleſiæ ſeculis nomine *clericorum*, per eminentiam accepto, diſtioguebantur a fidelibus reliquum populum Chriſtianum conſtituentibus, & hinc ſimpliciter nomine laicorum compellatis. Conf. Petrus de Marca in diſſert. de Diſcrim. Cler. & Laic. Ioſ. Bingham. de orig. Eccleſ. L. I. c. 5. & meus ordo Princip. Juriſprud. Eccleſ. P. II. §. 149.

(*d*) Vel me tacente jam quiſque intelligit, diverſos clericorum gradus, ſeu ordines ex diſtinctione & varietate ſacrarum functionum, ac ſacrarum perſonarum certa ſubordinatione venire.

§. 161. Et hæc igitur Hierarchia cuivis patet, quod ſit compoſita, nempe Hierarchiam *Miniſterii ſeu Ordinis* (*a*) & Hierarchiam *Regiminis ſeu Juriſdictionis* (*b*) ſub ſe complectatur (*c*).

(*a*) Hujus itaque Natura recte explicata erit, ſi eam dixeris: *facultatem Euchariſtiæ myſterium* CONFICIENDI, *vel circa illud* MINISTRANDI, *quæ perſonis per collationem diverſorum ordinum legitima auctoritate ad id deputatis jure divino & Eccleſiaſtico competit*. Ex qua notione jam nunc patet, eorum, qui circa miniſterium verſantur, eſſe duo ſumma genera. Primum illorum, qui id conficiendi poteſtate gaudent; alterum eorum, qui ad id tantum conficientibus miniſtrando accedunt. Audiemus mox ſuo loco, quinam in *majoribus*, quinam in *minoribus ordinibus* conſtituti dicantur. Notetur interim hoc eſſe inde, quod alii propius, alii remotius ad hoc miniſterium accedunt.

(*b*) Hanc pariter ex dictis optime deſcribes, eſſe *poteſtatem Eccleſiaſticam* INTERNE *erudiendo populo & adminiſtrandis ei Sacramentis*, EXTERNE *autem legibus Judiciis coercitionibuſque ſpiritualibus regendi, qua perſonæ*

Digitized by Google

ſonæ rite ordinatæ, & legitime ad id vocatæ ex inſtitutione divina & Eccleſiaſtica gaudent.

(c) Qui improbant rationem diſtinguendi ordinem a juriſdictione, id tamen nobis dabunt, aliud eſſe conficere Euchariſtiæ Sacramentum, vel citra illud miniſtrare, aliud ipſas fidelium dirigere actiones. Cur igitur diſtincta non diſtinctis verbis ſignificare liceret? Conf. meus ordo Princip. Juriſprud. Eccleſ. P. I. §. 106.

§. 162. Singulos utriuſque Hierarchiæ gradus, quid in ſingulis divinæ, quid humanæ inſtitutionis ſit, & quas præcipuas obligationes, quæ præcipua jura graduum horum quiſque ſecum ferat, nunc ſpeciatim ſequente libro ſumus commonſtraturi.

LI-

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS
DE SINGULIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ HIERARCHIS, EORUMQUE PRÆCIPUIS OBLIGATIONIBUS, ET JURIBUS IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

De iis, qui conſtituunt Hierarchiam Ordinis.

§. 163. OMni, quanta ad Eccleſiam regendam neceſſaria, eſt ſpirituali poteſtate Apoſtoli, tanquam conſtituti Eccleſiæ Chriſtianæ Rectores, ab ejuſdem fundatore quam certiſſime fuerant inſtructi. Hinc extra omne dubium eſt, hanc & Apoſtolis & iis, qui in eadem uſque ad conſummationem ſeculi duratura Eccleſia Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, nimirum Epiſcopis (*a*) a Deo attributam poteſtatem eſſe originem, complexum, atque apicem ordinum, ſeu graduum illorum omnium, per quos ſubinde aucto fidelium numero, & nata variorum negotiorum multitudine ad majorem alii, alii vero ad minorem partem hujus ſolicitudinis, quam totam Epiſcopi poſſident, neceſſario vocabantur (*b*).

(*a*) *Primam Eccleſiam particularem* fuiſſe *Hieroſolymitanam*, atque adeo etiam *primam particularem Epiſcopalem Cathedram* JACOBO, qui primus Hieroſolymorum Epiſcopus fuerat, obveniſſe, omnes antiqui ſcriptores tradunt. Sed & alios novimus Epiſcopos ipſis Apoſtolorum manibus ordinatos: veluti *in Eccleſia Antiochena* EVODIUM, & deinde IGNATIUM; *in ſmyrnenſi* S. POLYCARPUM, *quem* ordinavit Apoſtolus JOANNES; *in Cretenſi* TIMOTHEUM & TITUM ab Apoſtolo PAULO ibidem relictos &c. &c. Conf. S. Hieronym. Catal. ſcript. C. 3. 17. Epiphan. Hæres. 72. 75. Chryſoſt. Hom. 38. 42. Euſeb. L. III. C. 4. 22. 36. & quos alios laudat cl. de Riegger I. I. Eccl. P. I. §. 37. & 60.

(*b*) Hinc ait etiam S. HILARIUS in Epiſt. ad Eph. C. 4. *In Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt, id eſt Princeps ſacerdotum.* &c.

§. 194. Diſcipulos quidem jam Chriſtus ipſe ſibi præter Apoſtolos adſcivit (*a*) Atque cum Apoſtoli eorumque ſucceſſores Epiſcopi divinam hanc inſtitutionem obſervantes (*b*) in conſtituendis ejuſmodi diſcipulis, quibus tam functiones ſacras (*c*) excepta ordinatione (*d*) peragendas, quam negotia gravioris momenti ſecum conferenda (*e*) communicarent, ſummam ſemper curam adhibuerint, & potiſſimum ad ſapientiæ reſpexerint maturitatem, ab hac magis quam a corporis canitie iidem *Presbyterorum* nomen (*f*) ſunt conſecuti (*g*).

(*a*) Luc. X. 1.

(*b*) Act. Ap. XIV. 22. ad Tit. C. I. 5. &c. &c.

(*c*) Veluti divini verbi prædicationem, adminiſtrationem Baptiſmi, conſecrationem virginum, & Baſilicarum, Benedictionem dedicationemque Altarium, receptionem Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium, & lapſorum, qui pœnitentiam egiſſent, reconciliationem; horum omnium quidem omnino nihil ſine licentia Epiſcopi a Presbyteris peragi potuiſſe, ſed tamen hæc omnia imo facultatem dandi literas communicatorias, & poteſtatem ſignandi in fonte baptizatos tradendique Spiritum ſanctum ab Epiſcopis commiſſa fuiſſe Presbyteris ex Epiſt. S. Ignatii ad ſmyr. §. 8. Tertull. de Baptiſ. C. 27. Hieronym. Dialog. contra Luciſ. can. 3. Conc. Carthag. a. 390. Can. 7. Concil. Carthag. a. 348. Can. 23. ſynod. Hiber. a. 456. Can. 6. & 8. ſynod. Antioch. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. L. X. c. 3. Socrate L. I. c. 8. Harduin. Tom. II. Col. 1049. Mamach. de orig. Eccleſ.

Tom. IV. p. 536. cl. de Riegger L. c. §. 77. 81. & 86. eruditiſſime demonſtrat. Pontificale Romanum ordinandos Presbyteros monet, ipſorum eſſe officia, *offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare*. Competunt igitur hæc quidem presbyteris generatim vi ordinationis, ſed cum hodie ordinationes raro fieri ſoleant cum ſimultanea ad certam Eccleſiam deſignatione, ſine qua olim nemo ordinabatur, etiam hodie Conceſſio & miſſio ſpecialis neceſſaria eſt, ut poteſtatem ſuam in hac illave Eccleſia exercere queant.

(*d*) Ordinandi enims poteſtatem ſolis ſemper Epiſcopis propriam fuiſſe, diſcimus

1. Teſtimonio *SS. Patrum*; veluti *Hieronymi*, qui quamvis ubique Presbyterorum dignitatem ſummopere extollat, tamen Epiſt. 85. ad Evagr. ſcribit: *Quid facit* EXCEPTA ORDINATIONE *Epiſcopus, quod Presbyter non faciat*? Conſentit *Chryſoſtomus* Hom. XI. in I. ad Tim. III. 8. &c.

2. Ex *ſynodo Alexandrina*, quæ *Iſchyram* munere ſuo exuit, quia ordinatus fuerat a Presbytero *Colluthe*, qui falſo Epiſcopus eſſe credebatur, teſte Athanaſio Apol. II.

Non negamus, neminem olim ſine conſilio clericorum fuiſſe ordinatum, ſed quid inde contra nos? Etiam plebs teſte Cypriano Epiſt. 33. ad ponderanda ordinandorum merita ab Epiſcopis in conſilium vocabatur. Aderant ſane in ordinationibus Presbyteri, ſed non alia de cauſa, quam ut de moribus & meritis ordinandorum teſtarentur, ſimulque preces pro ordinandis cum Epiſcopo conjungerent. Quapropter etiam una cum Epiſcopo illis manus imponebant. Contrarium quidem evinceret ſynodi Ancyranæ Canon XII. ſi genuina eſſent hæc ejuſdem Lectio, *Chorepiſcopis non licere Presbyteros & Diaconos ordinare*, SED NEC PRESBYTERIS SINE PRÆCEPTO EPISCOPI VEL LITTERIS IN UNAQUAQUE PAROCHIA. Quæ autem veluti cl. Van-Eſpen in ſcholio ad cit. Can. oſtendit, ita reſtitui debet: *Vicariis Epiſcoporum, quos Cor-Epiſcopos vocant, non licere vel Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris civitatis ſine Epiſcopi præcepto amplius aliquid imperare vel ſine auctoritate litterarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere*. In contrarium quoque moveremur argumentis his: quod I. teſte *Cypriano* a Carthaginenſi Presbytero *Novato Feliciſſimus* Diaconus II. teſte Caſſiano a Paphnutio Abbate Daniel Presbyter. III. a Corepiſcopis quamplurimi ordinati ſint, ſi non hæc omnia in Hiſtoriæ bono lumine conſpecta omnino nihil de ordinatione quadam a Presbyteris facta exhiberent. Enimvero neque Cyprianus, neque Caſſianus affirmat, ordinationem a Presbytero factam, ſed a Presbytero Novato & Abbate Paphnutio effectum eſſe, ut Feliciſſimus & Daniel a ſuo quiſque Epiſcopo fuerit ordinatus. Id quod clariſſime patet ex ipſius Cypriani verbis, dum ait: *Feliciſſimum a Novato eodem modo Carthagine eſſe* FACTUM *Diaconum, quo Novatianus a Novato Romæ* FACTUS *eſt Epiſcopus*. Sed Novatianus ordinatus eſt a tribus Epiſcopis ad petitionem Novati, ergo & Feliciſſimus non a Novato, ſed tantnm ad ejus petitionem ab Epiſcopo ordinatus fuiſſe debet. Sic & Caſſiani verba non aliter ſonant, quam *eum presbyteri honore pervexit*. Quod Corepiſcopos attinet, noſſe oportet, hos Epiſcoporum maxime ruri quondam vicarios (quorum prima veſtigia ſeculo IV. ultima vero, quia ob ſuam arrogantiam & iniquam jurium Epiſcopalium uſurpationem tandem deſierunt, ſeculo XI. deprehendimus) ordini Epiſcoporum alios argumento Canonis 8. Concil. Nicæn. & 10. Concil. Antioch.; alios vero Presbyteris argumento Can. 13. Concil. Neocæſ. & Epiſt. Leonis I. ad Epiſc. Gall. & Germ. fuiſſe adſcriptos: Componimus ita ſimul litem illorum, quorum pars altera Corepiſcopos epiſcopali dignitate inſignitos, altera eos in Presbyterorum tantum ordine fuiſſe defendit. ſimulque concedimus, eos Corepiſcopos, qui Epiſcopatus ordine gaudebant, omnino ordinandi facultatem exercuiſſe. Denique turbaret nos etiam illa a Leone P. ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum data Epiſtola, qua ordinationes a Pſeudo Epiſcopis factas poſſe ratas haberi dicitur, ſi non ſalvo Concilii Nicæn. Can. 8. ſub his Pſeudo Epiſcopis non Presbyteri, ſed veri Epiſcopi, qui in Eccleſiis extra ſuam Diæceſim ſitis ordinarunt, intelligi deberent. Conſ. cl. Riegger l. c. §. 67. 68. 69. 70. 71. 78. 79. 80. 83. 84.

(*e*) Uti jam S. Ignatius in Epiſt. ad Epheſ. §. 2. & in Epiſt. ad Magnes. §. 2. meminit, antiquiſſimis certe temporibus obtinuit, ut clericus ab Epiſcopis in gravioribus negotiis in concilium adhiberetur. Quapropter is etiam Synedrium Presbyterorum Senatus, Eccleſiæ, Senatus Chriſti, venerandus, conſeſſus adpellabatur, Conſ. cl. de Riegger l. c. §. 87.

(*f*) Veluti nomen *Presbyterorum* Act. XIV. 22. XV. 2. ad Tit. I. &c. ita compellatio Seniorum Act. XV. 4. 6. 22. XVI. &c. habetur.

(*g*) Diſtinctos poteſtate a Presbyteris ſemper fuiſſe Epiſcopos docet nos

1. Id, quod de ordinandi facultate Epiſcopis propria paulo ante demonſtravimus.

2. I. ad Tim. C. V. ad quod *Epiph.* Hæreſ. 75. ita commentatur. *Quod non idem eſſe poſſit cum Epiſcopo Presbyter, divinus Apoſtoli ſermo declarat, quo quiſnam Epiſcopus, quiſque Presbyter ſit, intelligitur. Nam ad Tim. Epiſcopum ſcribens ita loquitur: Presbyterum ne objurges, ſed hortare velut Patrem*,

Quid

Quid autem attinebat Epiſcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, ſi non majorem ipſo poteſtatem obtineret: deinceps admonet, adverſus Presbyterum cito accuſationem ne admiſeris niſi duobus tribuſve teſtibus. Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accuſationem contra Epiſcopum non admitteret, aut Epiſcopum non objurgaret.

3. Teſtimonium Virorum Apoſtolici ævi; videlicet S. IGNATII qui in Epiſt. ad Philip. §. 4. habet verba hæc ſat clare diſtinctionem ſignificantia: *Unus Epiſcopus cum Presbyterio & Diaconis*. CLEMENTIS ROMANI in Epiſt. I. ad Conrinth. n. 42. ſeq. S. JUSTINI Apol. I. n. 67. Irenæi, L. 4. c. 17.

4. Teſtimonium Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, Hegeſippi, Polycratis Epheſii aliorumque in ſecundo & ſubſequentibus ſeculis ſcriptorum.

5. *Mamachius* orig. & antiq. Eccleſ. Tom. IV. p. 316. *Dionyſius Petavius* in Diſt. Eccleſ. *Natalis Alexander* Hiſt. Eccl. Sec. IV. Diſſ. 44. Quorum ille *Budæi* diſſ. de orig. & poteſt. Epiſc. & *Walchii* Compend. antiq. Eccleſiæ Lib. I. cap. 3. Iſte *Salmaſii* libris de fænore trapezItico deque Epiſcopis & Presbyteris, hic *Blondelli* in Apol. S. Hieronymi ſatisfecit. Sed & alios laudat cl. de Riegger l. c. §. 61. qui hoc genere ſcribendi ſingulariter ſunt meriti. Tantis ſane cum teſtimoniis ſi adverſariorum argumenta comparentur, eis omnino nullum robur ineſſe deprehenditur. Provocant videlicet I. ad Act. Apoſt. C. XX. v. 17. ubi iidem adpellantur *Majores natu Eccleſiæ*, id eſt, Presbyteri, qui paulo poſt v. 28. nomine Epiſcoporum inſigniuntur, II. ad nonnulla Pauli Epiſtolarum loca, in quibus non minus iidem modo Epiſcopi, modo Presbyteri dicuntur. III. ad alias ejuſdem Pauli epiſtolas, ubi tantum Epiſcopi cum Diaconis abſque Presbyterorum mentione commemorantur, veluti Epiſt. ad Philip. C. I. v. 1. I. ad Tim. C. IX. v. 14. IV. ſpeciatim ad priorem ad Corinthios Epiſtolam v. 28. ubi deſcriptionem Hierarchiæ contineri & Epiſcopos nomine doctorum, qualium nullus eſt Principatus, ſignificari exiſtimant. V. ad Joan. Apoſt. Epiſt. III. v. 9. in quo *Diotrephes* de primis in Eccleſia partibus affectatis arguitur. VI. ad Epiſt. S. Ignatii ad Magnes. in qua is Epiſcopalem *Damæ* dignitatem Novellam inſtitutionem vocat. VII. ad illum S. Hieronymi locum in Com. ad Epiſt. ad Tit. C. I. ubi fortiſſimum pro ſe præſidium deducunt ex verbis: *Idem eſt ergo Presbyter, quod Epiſcopus —— ſicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis divinæ veritate Presbyteris eſſe majores.* VIII. ad Epiſt. S. Auguſtini 82. ad S. Hieronymum data, in qua hæc leguntur verba: *Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor.* IX. ad teſtimonium & Chronicum Eutichii Alexandrini Patriarchæ a Seldeno in latinum translatum. X. ad Can. 2. Concil. Carthag. 4. Atque ad hæc ſingula ſi ordine examinentur, tam facile quam ſolide reponitur. I. Recte Act. Apoſt. C. XX. v. 17. & 28. recteque II. multis Pauli Epiſtolarum locis eoſdem modo Epiſcopos modo Presbyteros compellari, quandoquidem negare non poſſimus, eum, qui Epiſcopus eſt, ſimul eſſe Presbyterum. Verum inde nondum evictum eſt, omnem quoque, qui Presbyter eſt, eſſe Epiſcopum, dum tot ſcripturæ locis aliis ſeniores quidam ab Apoſtolis diſtincti commemorantur, dum eandem diſtinctionem ſemper obtinuiſſe laudati SS. PP. & viri Apoſtolici defendunt. Quod III. Paulus Apoſtolus ſæpe tantum Epiſcoporum cum diaconis: non item Presbyterorum mentionem faciat, primi Eccleſiæ noſtræ ſtatus obſervatio rationem ſuppeditat. Etenim quomodo poſſibile fuerat! ut exiguo tum temporis ſacrorum operariorum numero in quavis Eccleſia Epiſcopus præter neceſſarios ſibi Diaconos etiam Presbyteros a latere haberet? Is ſane exiguus numerus cauſa fuerat, cui in quibuſdam Eccleſiis tantum Epiſcopos cum miniſtrantibus Diaconis, in quibuſdam tantum Presbyteros commemorare Paulus potuerit. Quod IV. cit. ad Cor. Epiſt. v. 28. attinet, non ibidem ordinaria miniſtrorum Eccleſiæ munera, ſed præcipua quædam, quæ Spiritus ſanctus, ut vult, mortalibus largitur, dona enumerari pridem Mamachius atque Petavius inculcarunt. Atque ita etiam V. ipſa verba, quæ cit. Joann. Epiſt. v. 9. referuntur, *ſed is, qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit* NOS, ſatis declarant, ibidem inhumanitatem & nimiam ambitionem Diotrephetis, qui ipſis Apoſtolis preferri voluit, non autem majorem Epiſcoporum præ Presbyteris dignitatem reprobari. Sic quoque VI. Ignatius non Epiſcopalem *Damæ* dignitatem, ſed juvenilem ejus ætatem, qua ad hanc dignitatem pervenit, *novellam inſtitutionem* compellavit. Ad cit. VII. Hieronymi verba non difficilis ei erit reſponſio, qui antiquo more a Presbyterorum cœtu unum ad ſervandam inter illos arctiorem diſciplinam electum, ideo *Epiſcopum* ſeu SUPERINTENDENTEM nominatum fuiſſe novit. De ejuſmodi ſane Epiſcopis non autem vere talibus, quos ipſe S. Hieronymus tot locis aliis præfert presbyteris, is S. Pater, niſi eum de pugnantibus inter ſe dictis accuſare velis, locutus eſſe poteſt. Neque VIII. ea mens Auguſtino fuerat, ut *poteſtate* non majores Preſ-

byteris eſſe Epiſcopos allatis doceret verbis. Illa videlicet *honorum vocabula*, quibus antiquitas Epiſcopos *Apoſtolos*, *Antiſtites*, *Principes ſacrorum & Populi*, *Pontifices*, *ſummos Sacerdotes*, *Papas*, *Patres*, *& Patres Patrum*, *Vicarios Chriſti*, *Angelos Eccleſiæ*, *Sanctos* ſumma cum veneratione ſalutabat, non vero ipſam Epiſcoporum poteſtatem *Eccleſiæ uſus obtinuit*. Et de his honorum vocabulis, non de poteſtate cogitavit Auguſtiuus, dum pro ſingulari ſua humilitate in multis virtutibus, quantumvis ſibi. ſummus earundem gradus dictis vocabulis tribuatur, ſe Hieronymo minorem eſſe adfirmavit. Etenim adverte *in multis rebus*, ait, *Auguſtinus Hieronymo minor eſt*; Ergo non in omnibus minorem, ſed in quibuſdam ſe Hieronymo majorem eſſe tacite admittit. Qua autem in re niſi in ipſa poteſtate humillimus Auguſtinus ſeſe ita tacite extuliſſe dici poterit? Quanta IV. Eutichio *in his rebus adhibenda ſit fides*, docet Alexander Natalis, Sec. IV. diſſ. 44. ubi hic illum tanquam *imperitum*, *ineptum*, *ſecum ipſe pugnantem* tot in capitibus apertæ falſitatis tam ſolide, quam erudite convincit. X. denique nihil probare poteſt concil. Carthag. Can. 2. dum omnino nihil pro adverſariorum ſententia in eodem reperitur.

* Sunt permulti, qui Epiſcopos quidem poteſtate ſuperiores Presbyteris, & ab bis ſemper diſtinctos fuiſſe, non autem propterea *Epiſcopatum*, in quo ſcilicet nil niſi perſpectum & planum Sacerdotium deprehendere ſibi videntur, a Presbyteratu *diſtinctum* eſſe *ordinem* concedunt. Enimvero præterquam quod Epiſcopatus diſt. XXI. c. 1. & concil. Trid. Seſſ. XXIII. de Sacr. ord. c. IV. per verba: *ordo Epiſcoporum — — in ordinatione Epiſcoporum Sacerdotum, & cæterorum ordinum* diſtinctus ordo ſatis deſignetur, ſpecialem utique *materiam & formam* habet, atque characterem imprimit indelebilem. C. 1. de ordinat. ab Epiſc. qui renunt. Et qua quæſo ratione Epiſcopatus, qui ſpecialem ordines & ita ipſu.n ordinem Sacerdotalem conferendi poteſtatem involvit, aliquod tantummodo Sacerdotii, cui hæc poteſtas nulla ratione competit, additamentum erit? Profecto Sacerdotium ſuo in genere jam completum eſt; atque vel ideo, quod Epiſcoporum poteſtas a poteſtate Sacerdotum ſit quam diſtinctiſſima, hanc illius acceſſione completam fieri minus rite aſſeritur. Eſt quidem Presbyteratus conditio ejuſmodi, ſine qua præmiſſa nemini Epiſcopalis confertur poteſtas, ſed eadem utique Poteſtas etiam baptiſmum antea ſuſcipiendum poſtulat; neque tamen eam propterea Baptiſmi complementum adpellare unquam quis auſus fuerat. Conf. cl. de Regger l. c. §. 61. uſque 73. & 75. uſque 88.

§. 165. Qui primi poſt Presbyteros *Diaconoranı* nomine (*a*) veniunt; eorum quoque gradum ſpecialem jam inde ab Apoſtolis (*b*) & ſingulari quidem divino inſtinctu (*c*) eſſe determinatum, nos Sacræ litteræ docent (*d*). Ex iiſdem, nec non SS. Patrum ſcriptis illud, quod his Diaconis ab origine ſemper in Eccleſia Chriſti proprium fuerat, Officium in *Sacro* Epiſcopis Presbyteriſve exhibendo *miniſterio* (*e*) non autem in œconomica tantum ſollicitudine & curandis ſolummodo pauperum menſis (*f*) poſitum fuiſſe diſcimus.

(*a*) Διακονίας vocabulum, ſiquidem late accipiatur, quodcumque miniſtrorum ſignificat, eoque lato ſenſu ipſos etiam comprehendit Epiſcopos; ſed arctius id, propriumque illis, qui tertii gradus ſunt clerici, jam ſumſit antiquitas. Vide diſt. XX. c. 1. §. 3. & XXIII. c. 11. ubi hæc vocabula *Levitæ*, *Diaconi*, *Miniſtri* ut ſynonima referuntur. Optatus Milevitanus Diaconus in *Sacerdotio tertio*, velut Presbyteros in *ſecundo ſacerdotio* conſtitutos adpellat. Lib. I. contr. Parmen.

(*b*) Gradum ſpecialem ajo, juxta illud *S. Cypriani* Diſt. XXIII. c. 27. §. 1. *meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & Præpoſito, Dominus elegit. Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos* APOSTOLI SIBI CONSTITUERUNT EPISCOPATUS SUI ET ECCLESIÆ MINISTROS. Enimvero ipſa myſteriis miniſtrandi poteſtas tota, atque adeo quævis quoque illius pars jam in Epiſcopali poteſtate continebatur, & proinde a *Chriſto* cum eadem erat inſtituta.

(*c*) Profecto quiſque Catholicorum admittet, in rebus Eccleſiam concernentibus nihil omnino actum eſſe ab Apoſtolis abſque ſpeciali ordinatione, aut ſui Magiſtri obtutu eorum, de quibus ſcriptum eſt, *hæc locutus ſum vobis apud vos manens*, aut *ſancti Spiritus*, de quo divinus ille Magiſter ait, *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Hac de cauſa, & ob ea, quæ paulo ante de divina totius Hierarchiæ inſtitutione diximus, a ſacroſancta ſynodo Tridentina de Sacr. ord. conceptus eſt Canon VI. his verbis: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris, anathema ſit.*

Digitized by Google

(*d*) Act. Apoſt. C. VI. v. 1. & ſeq.

(*e*) Ita Act. Apoſt. VII. & VIII. demonſtrant : S. STEPHANUM *prædicando verbum Dei*, & PHILIPPUM *adnunciando Samaritanis Evangelium*, obiiſſe miniſterium omnino ſacrum. Ita idipſum demonſtrat HIERONYMUS Epiſt. 85. his verbis : *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumtas de veteri teſtamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vendicant in Eccleſia*. Ita denique idem etiam ſenſit CYPRIANUS, veluti ex ejuſdem Epiſt. ad quam paulo ante in n. b. provocavimus, cuique patebit. Conſiſtebat ſane juxta Teſtim. *Hieronym.* Comment. in Ezech. XVIII. & in Epiſt. 48. ad Sabin. *Juſtin. Mart.* Apol. II. *Tertulliani* de baptiſm. C. 17. *Baronii* ad an. 386. §. 55. *Binghami* antiq. Eccl. Vol. I. L. II. c. 20. §. 15. *ſynod. Sard.* C. 21. præcipuum Diaconorum officium in eo, ut 1. Epiſcopi & Presbyteris ad altare miniſtrarent, 2. menſæ ſacræ ornamentorum vaſorumque ſacrorum gererent curam, 3. traderent ſacerdoti oblationes receptas, & dum eaſdem ille ſuper altati offerebat, interim offerentium nomina recitarent, 4. Legerent Evangelium in Eccleſiis. 5. ſi opus eſſet, non tantum baptizarent, ſed etiam, 6. Euchariſtiam populo porrigerent. 7. eundem hortarentur ad preces, & concionibus erudirent. 8. demum ea omnia peragerent officia, quæ inferioribus poſtea ordinibus commiſſa ſunt. Conſecrationem autem Diaconis, quamvis a quibuſdam arrogata fuerat, nunquam licuiſſe docent Can. 13. 14. 18. Diſt. 93. Concil. Arelat. I. Can. 15. Auctor. Conſtit. Apoſt. L. VIII. c. 28. Quæ contrarium ſentientes ex *Ruffini* L. I. C. 6. adferunt verba: *Si Presbyter nullus ſit in præſenti, tum demum ipſis* DIACONIS *liceat dividere* EUCHARISTIAM : nihil omnino contra nos evincunt, cum *dividere*; non conſecrare, ſed populo *diſtribuere* ſalvo Concilio Nicæno ſignificare queat. Haberent plus ponderis illa, quæ in Ambroſ. L. 1. de offic. c. 41. ita leguntur: *Non prætereamus etiam S. Laurentium, qui cum videret Xyſtum Epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flere cœpit non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem, itaque his verbis adpellare cœpit : quo progrederis ſine filio Pater? quo ſacerdos ſancte ſine Diacono properas? Nunquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras, quid in me ergo diſplicuit Pater! numquid degenerem probaſti? Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti Dominici ſanguinis* CONSECRATIONEM, *cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas*, haberent inquam plus ponderis niſi obſervationibus Eſpencaeo & Van-Eſpen conformiter cum Can. 18. Concil. Nicæn. (ubi dicitur, *nec Canon nec conſuetudo tradit*, *ut* QUI OFFERENDI POTESTATEM NON HABENT, *iis, qui offerunt, dent Corpus Chriſti*) *diſpenſationem* non *conſecrationem* legi deberet. Complures ſane ritum illum priſtinum, quo Diaconis Euchariſtiam populo diſtribuere, & ad abſentes deferre licuit, male intelligentes eo delapſi ſunt, ut iiſdem etiam conſecrationem competiiſſe exiſtimarent.

(*f*) Hujus ſententiæ fautores provocant I. ad Can. 15. *Concilii Trullani* : ſed quid huic Canoni immorabimur, dum ipſa Trullana ſynodus ab Eccleſia univerſa nunquam fuit recepta, & ſuperius allata ſcripturæ ſanctorumque Patrum loca aperte contrarium habent II. ad *S. Chryſoſt.* Hom. XII. in Act. Verum hæc eadem Homilia nobis potius præſidium ſuppeditat. Etenim pecuniarum adminiſtrandarum munus ad ordinem Diaconatus *per ſe* non pertinere aſſerit, quantumvis illud Diaconis ſimul committatur, cum ipſius tempore in Eccleſia Conſtantinopolitana hæc diſpenſatio non penes Diaconos, ſed Presbyteros eſſet. III. ad Hieronymi Epiſt. 89. in qua ad Evagr. *de Diaconis* ita ſcripſit: *quis patiatur* UT MENSARUM, & viduarum MINISTER *ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Corpus Chriſti ſanguiſque conficitur*. Attamen neque hæc verba (niſi dicere velimus: S. Patrem hic illis ſuis ſupra in not. a. relatis verbis contradixiſſe) probant, Diaconis ſolum menſarum & viduarum, non vero ſacrum quoque miniſterium fuiſſe proprium. Reprimere faſtum Diaconorum, quos hæc menſarum & viduarum ſimul competens cura nimium arrogantes, atque ſuperbos reddidit, nil contra ſacrum eorumdem munus docere citato loco Hieronymus intendebat. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 73. 74. & 88. uſque 90.

§. 166. Sed & reliquos, qui notiſſimi ſunt, ordines; Subdiaconorum ſcilicet (*a*), Acolythorum (*b*), Exorciſtarum (*c*), Lectorum (*d*), & Oſtiariorum (*e*) jam ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe præter ſacroſanctam Tridentinam ſynodum (*f*) ex veterum ſcriptorum, & SS Patrum monumentis (*g*) colligitur. Tonſuræ autem clericalis ritum, ſit, per nos licet, antiquiſſimus, inter Ordines ut referamus; (*h*) vel ob complura variorum in Eccleſia officiorum peculiaria nomina, quæ antiquitas adhibuit, (*i*) ut plures, quam enumeravimus, admittamus ordines, (*k* nulla omnino, quæ nos movere queant, argumenta adſunt (*l*).

(*a*) Ordo hic *majorum ſacrorumque* ordinum poſtremus eſt, & cuncti qui ſequuntur, *minores* audiunt. Quo quidem tempore ſubdiaconatus inter Sacros ordines relatus ſit, perſpectum non habemus. Putant recentiores plerique omnes, id ſeculo fere duodecimo, atque ob illam, quæ caſtitatis votum huic ordini adnectendum præcipiebat, ab Eccleſia Romana ad occidentales alias extenſam legem contigiſſe. Sit quidcumque demum, ſufficit Concil. Trid. Seſſ. XXII. c. 2. ubi nobis dicitur: *Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus & ſacris Conciliis refertur*. Officia ſubdiaconorum præcipua hæc ſunt. 1. aquam ad miniſterium altaris præparare, 2. miniſtrare Diacono. 3. pallas altaris & corporalis abluere, 4. calicem & patenam in uſum Sacrificii eidem offerre. 5. de oblationibus ſuper altare ponere, quantum populo poſſit ſufficere 6. Epiſtolam in Eccleſia Dei legere, quorum alterum alteri ſucceſſu temporis junctum eſt; veluti etiamnum non omnia apud Græcos obtinent hypodiaconos. Conf. Morin. Exerc. XII. c. I. Eo autem cumprimis ſemper invigilatum eſt, ut ſubdiaconi in diaconorum miniſterium ſe non ingererent. Hinc Concil. Laod. Can. 21. ait: *quod non oportet miniſtros locum habere in Diaconio* (ideſt loco, qui ſacrorum vaſorum cuſtodiæ hoſpitioque peregrinorum deſtinatus, & Diaconorum curæ commiſſus erat) *& ſacra vaſa tangere*, vaſa ſcilicet, quæ actu corpus & ſanguinem Domini continent: porro Can. 22. *non oportere miniſtrum ferre* ORARIUM, id eſt ornamentum a Diaconis in ſacro munere adhiberi ſolitum, denique Can. 25. *non oportere miniſtros panem dare, vel calicem benedicere*.

(*b*) *Acolythus, quum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat: ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda luminaria mancipari. Accipiat & Urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Eucbariſtiam ſanguinis Chriſti*. Concil. Carth. IV. can. 6. *Apud veteres Græcos* ait quidem JOAN. CABASUTIUS in not. Concil. cap. 42. *non invenio Acolythorum diſtinctam mentionem, etſi vox illa ſit plane græca*. Non autem inde concludas velim Græcis hunc ordinem eſſe ignotum; Eundem enim conferunt, ſed una cum Subdiaconatu. Hinc Benedictus XIV. ſua conſtitutione ETSI PASTORALIS ait: *Quod ſi clericus Græcus, Lector tantum ordinatus, ex Benignitate ſedis Apoſtolicæ obtinuerit, ut majores ordines latinis ritibus ei conferantur, is antequam ſubdiaconus ordinetur, tres minores ordines omiſſos debeat ritu latino ſuſcipere. Si vero præter Lectoris ordinem ad ſubdiaconum etiam Græco ritu aſcendit, & ex diſpenſatione itidem Apoſtolica facultas ſibi data ſit ceteros ordines ritu latino ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, minoribus ordinibus* EXORCISTATUM (qui ſolus videlicet a Græcis recentioribus negligitur) *ſupplere cogitur*, quum per SUBDIACONATUM GRÆCO RITU COLLOCATUM ACOLYTATUM ET OSTIARIATUM RECEPISSE CENSEATUR.

(*c*) *Exorciſta, quum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe & commenda memoriæ & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum ſive baptizatum ſive catechumenum*. Concil. Carthag. c. 7. conjuncta impoſitioni manuum erant etiam hæc eorumdem officia: *quotidianum energumenis victum procurare, diſtinere hoc innocua quadam occupatione v. gr. verrendis templis* &c. vid. Ejuſd. Conc. Can. 91. & 92. unde patet, quantum auctoritatis tribui queat ſcriptori conſtitutionum Apoſtolicarum, qui L. VIII. c. 26. & contra cit. Concilii Canones & can. 10. Concil. Antiocheni ann. 341. celebrati & Can. 24. Concil. Laod. aſſerit: *Exorciſta non ordinatur*.

(*d*) Lectorum officium non nnquam erat ſcripturas legere coram Altari, ſed tantum de pulpito. Hinc Cypriano *ſuper pulpitum imponi & ad pulpitum venire*, idem eſt, ac lectorem ordinari. Non autem Sacras ſcripturas tantum, ſed etiam Epiſcoporum Epiſtolas, Acta Martyrum, & Homilias Patrum legere eos oportebat, præterquam quod etiam ejuſmodi librorum cuſtodia iis fuerit commiſſa. Conc. Carthag. c. 8.

(*e*) Officia oſtiariorum erant 1. indicere ſtata tempora precationum & conventuum Eccleſiaſticorum. 2. Aperire fidelibus Eccleſiam. 3. Aditum negare infidelibus. 4. Singulis adſignare ſuum locum 5. omnibus commendare ſilentium & modeſtiam. 6. cuncta, quæ intra Eccleſiam ſunt, diligenter cuſtodire. Hinc etiam Epiſcopus in hoc ordine tradendo utitur tanquam Symbolo clavibus Eccleſiæ, & eas dextra tangenti ait, *ſic age quaſi Deo redditurus rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Traditur quidem oſtiariis etiam funis Campanæ ab iiſdem pulſandæ; ſed ritum hunc recentiorem eſſe docet Card. Bona. Rer. Liturg. L. I. c. 20. §. 7. Idem c. 25. n. 18. de collapſa circa minorum ordinum functiones antiqua diſciplina graviſſime conqueritur.

(*f*) Seſſ. XXIII.

(*g*) *Tertul.* Script. II. Sec. de præſcr. c. 41. S. Cyprianus, L. III. Epiſt. 22. *Cornelius* P. egregia ita temporibus Cypriani ſcripta Epiſt. quam Euſebius L. VI. Hiſt. Eccl. c. 43. ad nos tranſmiſit, & qua adfirmatur, fuiſſe in Eccleſia Romana præter Epiſcopos Presbyteros & Diaconos etiam *Subdiaconos ſeptem, quadragin-*

ginta duos *Acolythos*, *exorciſtas autem & lectores quinquaginta duos*. Hæc ſane Epiſtola vel ideo, quia ſcripta medio ſere tertio ſeculo, quo Eccleſia & temporibus Apoſtolorum propior, & innovationum inſolens fuerat, de antiquiſſima minorum ordinum origine luculentum certo eſt teſtimonium. Porro, & quidem antiquiſſimum in Eccleſia Græca quoque horum ordinum uſum non tantum illa Ignatii Epiſtola ad Antiochenos ſcripta, quam multi ſuſpectam habent, ſed vel maxime *Synodus Laodicena* c. 24. *Dionyſius* de Eccleſ. Hierarch. c. 3. *Epiphanius* hæreſ. 80. nu. 21. *Joannes Epiſcopus Cipri*, L. III. Jur. Orient. apud Goarium peg. 237. exhibent, dum videlicet non ſolum *Lectoratum*, qui tantummodo apud Græcos obtinuiſſe quibuſdam videtur, ſed præter Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, *miniſtros*; etiam *Exorciſtas*, *Oſtiarios*, *deputatos cum luminibus præcedentes* commemorarunt. Neque in ratione alia differebant, differuntque Græci, quam in ipſa horum ſibi notiſſimorum ordinum collatione; lectoratum ſcilicet ſeorſim; acolytatum & oſtiariatum ſimul cum Subdiaconatu; Exorciſtatum autem cum Diaconatu conferentes; quamquam, ut jam ſupra ex Benedicti XIV. conſtitutione *etſi Paſtoralis* innui, exorciſtatus a Græcis recentioribus negligatur.

(*b*) Initio quidem Eccleſiæ Clerici a laicis determinato quodam habitu diſtincti non fuerant, niſi quod præ laicis certe in eo peculiarem obſervaverint modeſtiam. Sic autem brevi poſt tempore, & coronæ inſtar, ſeu quacumque demum forma adhibitus tonſuræ clericalis uſus, eadem tamen tonſura initio tantum veluti ritus quidam ordinationi adnexus, non vero ſeparatim ab aliis ordinibus, multo minus ut ſeparatus ordo collocatus fuiſſe videtur. Etenim quod ſeparatam ejus collationem attinet, *Morinus* de Sacr. ord. P. III. Exerc. 15. c. 3. eandem ita invaluiſſe refert, ut 1. Epiſcopi illos impuberes, & mere infantes, qui a parentibus ad Eccleſiaſtica officia oblati, præfecto ipſis ut plurimum Archidiacono, tanquam Cleri reparandi Seminarium in eadem domo educabantur, ne prorſus ſeculares & profani ante hominum comparerent oculis, ſola tonſura & veſte clericali diſtinguerent. 2. autem idem, quod initio in pueris fiebat, temporum ſucceſſu in ætate valentibus uſurparetur. Sed neque ſeparati ordinis indicia in Tonſura clericali deprehendimus; ſcilicet: dum

1. Per eam non confertur poteſtas ſpecialem aliquam actionem, aut miniſterium *cum relatione & reſpectu ad ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti confectionem* exercendi, ſed ſolummodo

2. Transfertur aliquis a ſtatu laicali ad clericalem, & functiones omnibus Clericis communes, veluti eſt divinarum laudum decantatio, quæ quamvis etiam Laicis conveniat, tamen ſpeciatim, & ante alia ad clericalem ſtatum præparandis commendatur. Quapropter etiam nil aliud ad eos dixit Epiſcopus quam 1. extremis capillorum inciſis: *Dominus pars hæreditatis meæ*, *& calicis mei: tu es*, *qui reſtitues hereditatem meam mihi*. 2. Superpelliceo lineo induto: *Induat te Dominus novum hominem*, *qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*. 3. Statim poſt collatam primam Tonſuram, *vide*, *ut*, *quod ore cantas*, *corde credas*, *& quod credis*, *operibus compleas*. Quæ omnia non quandam poteſtatem & ſpeciale quoddam relate ad SS. Euchariſtiam miniſterium, ſed ſolummodo condignam ad ipſum ſtatum Clericalem præparationem innuunt. Atque hinc

3. In Concil. Trid. Seſſ. 23. c. 2. de Sacr. ord. *clericali tonſura inſigniti per minores ad majores ordines aſcendere* dicuntur, & tam c. 6. de Reform. per hæc verba: *Nullus prima Tonſura initiatus*, *aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus* quam c. 10. ubi prohibetur Abbatibus, ne aliis quam ſubditis ſibi regularibus *Tonſuram vel minores ordines* conferant, diſſerte tonſura ab ordinibus excluditur. Adde cap. 27. ubi oſtiariatus ſacrorum ordinum infimus nominatur. Hinc quoque

4. Pontificale Romanum creationi Clerici, quæ fit per primam tonſuram, non *de clerico ordinando*, ſed *faciendo* titulum præfigit, & deinde Titulum *de ordinatione oſtiarii* ſubnectit. Quibus omnibus probe perſpectis omnino nos turbare nequeunt

I. C. 11. *de ætat. & qualit.* ubi legitur: *quod per primam Tonſuram clericalis ordo conferatur*. Enimvero hic clericalis ordo clericalem denotat ſtatum, atque adeo vox *ordo* hic ſenſum latiorem accipit, quemadmodum frequenter etiam in jure noſtro *ordo clericalis*: id eſt ſtatus clericalis Beneficiorum juriſdictionis & Privilegiorum Eccleſiaſticorum capacitatem adferre dicitur. Ita ſcilicet Chriſtianorum ordo duplex eſt, clericalis alius, alius, ſecularis.

II. C. 1. diſt. 21. in princ. ubi ſub *Pſalmiſta* tonſura clericali inſignitum denotari exiſtimant nonnulli. Etenim etiam lectores, quandoquidem quibuſdam canendi præcinendique obligatio fuerat, perſæpe Pſalmiſtarum nomine venire, atque hoc eodem nomine ejuſmodi non tam quoad ordinem quam officium a reliquis lectoribus diſtingui eruditis eſſe notiſſimum, vid. Haberti Archier P. IV. obſ. 4. Adverte autem præterea, quæ enumerata iri citatus canon prænunciet. Non clericorum gradus tantum, ſed & nomina pro variis ſcilicet officiis variantia. Idem profecto Canon mox §. 1. ordinem Epiſcoporum quatripartitum, id eſt in Pa-

Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitis, atque Epiſcopis eſſe dicit, & quis tamen ideo in Patriarchatu, vel Archiepiſcopatu diſtinctos ab Epiſcopatu ſibi ordines finget. Adverte porro: ibidem Pſalmiſtam Oſtiario gradu priorem poni. Qua quæſo id ratione contigit, ſi ſub Pſalmiſtatu tonſura, quæ prima confertur, intelligi debet?

III. Concil. Trid. Seſs. 21. de reform. c. 1. ubi dum *pro collatione quorumcunque ordinum etiam clericalis tonſuræ quidquam accipi prohibetur*, captant verbum *etiam*, quaſi vero in tonſuram præcedentibus ſcilicet ordinibus implicaret. Implicat id ſane tonſuram præcedentibus quoad collationem, de qua ſermo eſt, adeo ut neque pro collatione quorumcunque ordinum, neque etiam pro collatione clericalis tonſuræ quid accipere liceat. Et quid denique nodum in ſcirpo, quid in una hac voce quærimus, dum integris ſupra allatis textibus Concilium Tridentinum nobis clariſſime loquitur.

* Ceterum quid Eccleſia clericali tonſura & coronæ forma indicatum, ſimulque quomodo illud, dum Sacerdotium *regale* dicitur, acceptum velit, diſſerte exprimitur c. 7. XII. Q. 1. his *Hieronymi* verbis: *Hi namque ſunt* REGES *id eſt ſe & alios in virtutibus regentes*, ET ITA IN DEO REGNUM HABENT. *Et hoc deſignat corona in capite*: *Hanc coronam habent ab Inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum* REGNI, QUOD IN CHRISTO EXPECTATUR. RASIO VERO CAPITIS EST TEMPORALIUM OMNIUM DEPOSITIO.

(*i*) Ita legimus commemoratos.

1. Pſalmiſtas ſeu cantores, de quibus jam diximus.

2. Foſſarios, Copiatos, laborantes, quos oportebat exequiarum curam gerere, & mortuis de honeſta proſpicere ſepultura.

3. Parabolanos, qui ad curanda debilium corpora deputati erant.

4. Oeconomos Eccleſiarum, & defenſores.

5. Hermeneutas, qui non ſolum ſacras Scripturas, ſed quæque alia Religioni & devotioni inſervientia dicta, ſcriptave ex uno in aliud idioma transferebant.

6. Cuſtodes Martyrum.

7. Catechiſtas ſeu doctores audientium, id eſt Catechumenorum.

8. Notarios, qui tunc tantummodo ad acta Martyrum conſcribenda fuerant conſtituti &c. &c. Vid. Bingh. orig. Eccleſ. Vol. II. c. 7. ſeq.

Omnia hæc diverſa nomina, diverſa quidem officia, non item diverſos propterea ordines deſignabant. Iis enim, qui jam ordine quodam initiati erant, ejuſmodi officia ſimul commiſſa, nullum vero ad ejuſmodi officia ſpeciali ordine initiatum fuiſſe deprehendimus.

(*k*) Etiam fœminis quondam, imo Apoſtolorum ævo, officia & myſteria in Eccleſiis fuere credita, juxta Epiſt. ad Rom. C. 16. v. 1. *Commendo vobis Thœbem ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ*, & I. ad Timoth. V. 9. *vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerat unius viri uxor in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. Adoleſcentiores autem viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt*. Hinc ortæ *Diaconiſſæ*, quarum officia & miniſteria *Concil. Carthag.* IV. C. 12. *S. Hieronym.* in Epiſt. ad Rom. C. 16. *Epiphanius* hæreſ. 79. Nov. VI. Juſt. C. 6. hæc fuiſſe indicant. 1. Mulieres baptizandas inſtruere, & eas edocere, quid baptizanti reſpondere debeant. 2. invigilare modeſtiæ & decentiæ a fœminis tam in Eccleſia, quam extra eam obſervandæ. 3. aſſignare feminis ſua in Eccleſiis loca, & de ſervando ibidem ſilentio eaſdem admonere. 4. Captivis, peregre advenientibus, ægrotantibus, aut aliis ope & auxilio indigentibus ſuccurrere. 5. intereſſe, & interpretes agere, ſi qua mulier cum Epiſcopo loqueretur &c. &c. Verum quum Diaconiſſæ iſtæ inſoleſcerent, eas ſubinde particularibus conciliis ubique in Eccleſia latina abolitas, imo in orientali etiam Eccleſia non ultra ſeculum duodecimum proprie, ut olim fuerant, retentas eſſe novimus. Diſcerne autem ab iiſdem, Diaconiſſas illas, quæ hoc nomen ideo, quod Diaconorum uxores erant, ſortiebantur; veluti olim etiam uxores Epiſcoporum *Epiſcopæ*, & Presbyterorum *Presbyteræ*, ut docet Concil. Turonenſ. II. c. 14. fuerant compellatæ. Vide etiam Diſt. XXXII. c. 28. & ſeq.

(*l*) Quæ plura tam quoad antiquitatem, quam quoad Eccleſiaſticos ritus recenſitorum ordinum, & officiorum ſunt ſcitu neceſſaria. Vide apud *Berti* de Theol. diſcipl. Tom. VIII. L. 36.

Bona Rer. liturg. L. 1. c. 25.

Thomaſinum de vet. & nov. Eccl. diſcipl. P. 1. L. II.

Morinum Exercit. XII. c. 1. 12. XV. c. 3.

Bingham orig. Eccleſ. Vol. II. L. II. c. 7. & Cl. de *Riegger* loc. c. §. 91. uſque 101. item L. 1. Decret. Tit. XV.

CA-

CAPUT II.

De Cauſa & modo ita, ut nunc eſt, ſtabilitæ Hierarchiæ Juriſdictionis.

§. 167. Quod de *Hierarchia Miniſterii* perſpeximus, illam ſcilicet circa id Apoſtolis datam poteſtatem aucto ſubinde fidelium numero, & nata negotiorum multitudine pluribus propiori remotiorive gradu eſſe communicatam, idem omnino de *Hierarchia Regiminis* eſt quam veriſſimum. Ita ſcilicet eos, qui nunc in hac Hierarchia gradus numerantur, etiam ipſa, quæ pro multa meſſe creſcebat, ſacrorum operariorum copia, & eorumdem alterum alteri, qui invigilet, certa ratione ſubjiciendi neceſſitas expoſtulabat.

§. 168. Iidem vero, qui nunc in hac Hierarchia late accepta gradus numerantur, ita ſeſe excipiunt, ut *primum* Romanus Pontifex, *ſecundum* Patriarchæ, *tertium* Primates & Exarchæ, *quartum* Archiepiſcopi & Metropolitæ, *quintum* Epiſcopi præciſe tales, *ſextum* eorundem Vicarii, aut qui ceteroquin illis in Regimine Eccleſiæ adjutricem præſtant operam vel Juriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habent, *ſeptimum* Parochi occupare dici queant (*a*). Et de hiſce ſingulis, quantum ad Hierarchiam pertinet dicemus.

(*a*) Proprium ſane gradum in Hierarchia Juriſdictionis prorſus ſibi vendicare nequeunt illi, qui non Prælati, non Abbates, non Miniſtri Generales ordinum, aut ceterum non habentes Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſed ſimpliciter in Clero ſeculari, aut in regulari communitate præfecti ſunt, ut bonæ diſciplinæ conſervandæ cauſa potius domeſticam & religioſam ſuperioritatem, quam poteſtatem ſtricte Eccleſiaſticam exerceant.

CAPUT III.

De præcipuis Juribus & Obligationibus, quæ eſſentialiter Primatui ſummi Pontificis inhærent.

§. 169. Demonſtravimus abunde *ſacrum tribunal ſupremum* in ipſo Eccleſiæ Rectorum cætu, ſive in concilio, ſive extra illud partem plurimam conſentiente, eſſe conſtitutum. Sed & ſufficientibus certo argumentis demonſtravimus, *Beato Petro* ejuſque ſucceſſoribus non tantum honoris, verum etiam Juriſdictionis primatum præ quovis alio Eccleſiæ Rectore ſeu in Concilio, ſeu extra illud conſiderato unitatis conſervandæ cauſa obtigiſſe. Quis igitur his argumentis convictus inter ſingulos Antiſtites, Hierarchiam Juriſdictionis ubicumque exercentes, *Romanum Pontificem* non *primum*, & quidem non ita collocabit, ut *ejuſdem* JURA ESSENTIALIA *ea omnia eſſe dicat, ſine quibus unitas in Eccleſia obtineri nequit?*

§. 170. Profecto cum unitas ſola ſit ratio, & finis Primatus, ac primigeniæ Poteſtatis Pontificiæ; & cum media cujuſque poteſtatis tantum ea dici queant neceſſaria, quæ cum fine, propter quem poteſtas eſt, deprehenduntur neceſſario connexa: connexio cum unitate obtinenda certiſſimum ſuppeditat Principium quævis jura dignoſcendi, num vere eſſentialia primatus ſint, atque hinc jam divina ei Inſtitutione inhæreant, num vero eidem ſubinde demum citra neceſſitatem fuerint adnexa.

§. 171. Ex hoc igitur principio etiam nos nunc dimetiemur jura, quæ hodie ſummo Pontifici præcipue tribuuntur. Et quidem primo illa, quæ quam certiſſime Primatus *eſſentialia* ſunt; deinde ea, quæ ut talia agnoſcendi prorſus rationem non invenimus, & hinc *accidentalia* compellamus, fideli comite Hiſtoria Eccleſiaſtica percurremus.

§. 172.

Digitized by Google

§. 172. Quam certiſſime Jus Primatui propter neceſſitatem conſervandæ unitatis inhærens eſt, I. ut ea, quæ ad ſtatum Eccleſiæ univerſalis pertinent, ubivis gentium ea geri contingat, referantur ad Primatem; ut is facilius miniſterium ſuum modo diſciplinæ Eccleſiaſtieæ conformi impendat (*a*).

(*a*) Id *ſynodus Sardicenſis* in Epiſt. ad *Julium P. Epheſina* in Epiſt. ad *Cœleſtinum* P. *Juſtinianus* L. 7. C. de SS. Trinit. ut alia teſtimonia taceam, aperte confitentur. Hac etiam de cauſa mittebant Pontifices Romani in terras remotas ſubinde viros, qui exquirerent, quomodo fides reſtituenda, qui notarent auctores diſſenſionum a communione ſegregandos, paucis! qui Pontificis nomine Eccleſiis, num unitas ſervetur, invigilarent. Atque ejuſmodi *legatos nunciosve* mittendi morem non tantum antiquiſſimum, ſed & ſi unitatis conſervandæ neceſſitas exigit, cum primatu connexum quiſque opinor lubens admittet; ceterum hodierna nuncios Apoſtolicos mittendi ratio maximam partem humanæ originis eſt; uti mox infra dicemus. Conſ. etiam S. Cypriani ad Stephan. P. Epiſt. 67. Edit. Benedict. Innocentii Epiſt. 30. Cyril. ad Cæleſt. Epiſt. 8. &c. apud Conſtant. in Epiſt. Roman. Pontiſ. Pariſ. 1721. nec non Colet. Concil. T. III. pag. 1188. & T. IV. pag. 1774. Adde L. 7. Cod. de ſum. Trinit.

§. 173. Patet quoque bono unitatis ad eſſentiam Primatus pertinere II. ut ſummus Pontifex, ſi malum quoddam emergat, cujus ſuppreſſio uſque ad Concilium convocandum, aut explorandum communem Eccleſiæ ſenſum ſalva unitate moras non patitur, ejuſmodi interim, quæ ad conſervandam hanc unitatem tendunt, ſententias edicat. Plerumque exquiſitis aut in ſynodo Romana aut totius Italiæ, aut per literas communicatorias quorumdam Epiſcoporum ſuffragiis tales ſententias a Pontificibus in Auctores novorum dogmatum latas eſſe novimus (*a*).

(*a*) *Viſum eſt mihi*, ait hanc in rem S. Baſilius Epiſt. 69. ad Athanaſium, *ut ſcribatur Epiſcopo Romano, ut quæ hic geruntur, conſideret, & ſententiam expromat*. Conſ. etiam Baron. Annal. Eccleſ. Tom. II. ad an. 263. n. 30. ſeq. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. L. VI. cap. 35. porro Renatus Muſſuetius Diſs. III. in Iren. art. 3. §. 30.

§. 174. Convincunt, opinor, pariter ea, quæ de Conciliis, eorum neceſſitate & prærogativa in iiſdem ſummo Pontifici competente diximus (§. 148.) id eſſe III. Jus Primatus eſſentiale, ut ſi unum levando malo jam reliquum eſt generale Concilium, non tantum in eodem convocando, ſed & in præſidendo enunciandoque ante alios ſuffragio præcipue Romani Epiſcopi valeat auctoritas (*a*).

(*a*) Conſ. Thomaſinus Diſſertat. X. de ſynod. Epheſin. Morinus Lib. 1. Exercit. 20. Petrus de Marca de Concord. Sacerdotii & Imperii L. V. c. 3. & ſeq.

§. 175. Non minus IV. obligationi præcipuæ ſummi Pontificis reſpondens præcipuum Jus eſt, ut is, quantum maxime fieri poteſt, vetera tueatur inſtituta, eorumqne tam juſſione, quam exemplo urgeat obſervantiam (*a*).

(*a*) Videlicet juxta illud *Gelaſii* in Epiſt. ad Epiſc. Dard. C. 2. QUOD UNIVERSALIS ECCLESIÆ PROBAVIT ADSENSUS, NULLAM MAGIS EXEQUI SEDEM OPORTERE PRÆ CETERIS, QUAM PRIMAM. Hæc ſane veterum inſtitutorum ſollicita cuſtodia ſimul ipſos Pontifices ab alienis juribus deminuendis uſurpandiſve nunquam non ita cohibebit, ut iiſdem familiare futurum ſit, quod ſcripſit tum *Gregorius* M. L. III. Epiſt. 29. ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Mediolanenſis his verbis: *ſicut ab aliis noſtra exigimus, ita ſingulis ſua jura ſervamus*, tum *Innocentius III.* Lib. I. in Epiſt. ad Rectores Tuſciæ, quæ ita habet: *Sicut jura noſtra volumus ſervari, ſic aliorum jura voluimus illibata* ſervare. Conſ. etiam Cæleſt. P. Ep. 4. n. 1. S. Leonis Ep. 92. Zoſimi P. Ep. 9. n. 4. Syricli P. Ep. 5. n. 1. Liberii P. Ep. 4. n. 3. apud Conſtant. S. Bernardus L. III. de Conſid. cap. 5. Boſſuet deſ. Decl. Cleri Gall. Tom. II. pag. 408. Adde Profeſſionem fidei, ut ea a ſummis Pontificibus edenda habetur in libro diurno Romanorum Pontificum; & cauſ. XX. q. 1. apud Gratian. Intelligimus ergo eatenus, quatenus uniformis veterum Canonum obſervantia & neceſſaria eſt, & unionem promovet,

Rom.

Digitized by Google

Rom. Pontificem etiam leges *diſciplinares univerſales* condere poſſe; & certe hoc Pontificis jure non præjudicari Epiſcopis, qui ipſi vetera inſtituta tueri & exequi debent, atque hinc ejuſmodi urgentes leges Pontificias ſolum tunc non recipere tenerentur, quando particularium Eccleſiarum neceſſitas & utilitas aliam ſingularem determinationem vel remiſſionem rigoris exigeret. Conf. Diſt. 4. Can. 2. cap. 1. de conſtit. in 6. Card. de Cuſa de concordantia Catholic. L. 2, c. 9. 10. 11, Petrus de Marca Concord. S. & I. l. 2. c. 16. Ex quibus ſane conſequitur, ſummo Pontifici vi Primatus etiam competere jus diſpenſandi in ſtatutis veterum, & decretis conciliorum generalium, pariter tamen eo modo, ut id pro neceſſitate ac utilitate Eccleſiæ univerſalis, atque ſalvis tam Eccleſiaſticis diſpenſationum regulis, quam ipſis Epiſcoporum Juribus exerceat. Conf. Thomaſſini P. II. L. 3. cap. 29. Van-Eſpen Diſſertat. de diſpenſ. cap. 2. §. 3. Zallwein Tom. I. q. 4. c. 3. §. 5.

§. 176. Porro Jus tale eſt V. ut pro unitate in fide & unione in Eccleſia conſervanda & ferat leges, & exequatur (*a*).

(*a*) Agnitam ſemper fuiſſe hanc Pontificis poteſtatem non modo *Valentiniani* Imp. Nov. III. Cod. Theod. ſed etiam ipſæ antiquiſſimæ ac genuinæ Pontificum Epiſtolæ Decretales, quas *Conſtantius* duobus voluminibus complexus eſt, abunde commonſtrant. Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. L. I. c. 8. & 9. & adde Reverendiſs. Abbatis Brzenovienſis Stephani Rautenſtrauch Inſt. J. E. T. I. §. 142. ubi notat: quantumvis ejuſmodi decretis debeatur obedientia, fidei tamen regulam illis haud conſtitui, exemplo Conſtitutionis *Unigenitus*; nec non vide, qui ibidem citantur Euſebius Eraniſtes ſeu P. Vincent. Patuzzi Ord. Præd. in literis pro Encyclica Bened. XIV. ad Epiſc. Galliæ an. 1755. & P. Gazzaniga Prælect. Theol. T. III. pag. 293.

§. 177. Veluti etiam Primatus Juriſdictionis ſummo Pontifici non tribuere non poteſt tantum Juris, VI. ut Prælatos ab officio deſciſcentes ad hujus expletionem revocet, in illa, qua neceſſe eſt, ſacri regiminis parte eorundem ſuppleat negligentiam, (*a*) nec non renitentes coerceat, (*b*) ac cumprimis adſiſtat quoque iis, quos opprimere, quorum juribus detrahere alii conantur (*c*).

(*a*) Hoc eſt, quod *ſupremum Jus devolutionis* compellatur, & ex Primatu ſane neceſſario conſequitur ea in hypotheſi, qua & Prælati inferiores, & ii qui illis ſuperiores jura devolutionum intermedia habent, negligentes exiſtunt. Enimvero dum hiſtoria Eccleſiaſtica nos edocet, pro ea, quæ cuivis Epiſcopo non tantum pro ſuæ particularis, ſed & totius Eccleſiæ bono cura incumbit, alios aliorum negligentiam ſuppleviſſe, quis hoc ſupplendi Jus in caſu neceſſitatis Epiſcoporum primo denegabit?

(*b*) Ad uniformem integritatem fidei & morum conſervandam, ſæpe renitentium coercitio eſt neceſſaria. Hæc ſane neceſſitas manſit, etſi non manebat frequens celebratio ſynodorum provincialium, in quibus antea illæ correctiones & coercitiones fiebant, atque hæc ipſa ſynodorum provincialium ceſſatio auxit caſus, in quibus tanquam caſibus neceſſitatem Eccleſiæ tangentibus illæ coercitiones & correctiones a ſummo Pontifice ſuppleri debent.

(*c*) Ita Julius I. S. Athanaſii; Innocentius I. S. Chryſoſtomi; Nicolaus I. S. Ignatii a Photio a ſede Conſtantinopolitana deturbati ſeſe defenſorem exhibuit. Conf. Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 153.

§. 178. Hæc ſane ſunt præcipua Jura, quæ Primatui neceſſario inhærere ab omnibus Catholicis agnoſci debent; & ad hæc facile tanquam conſectaria reducentur omnia, quæ pro quovis emergente unitatis & unionis conſervandæ caſu a ſummo Pontifice ſuſcipienda excogitari poterunt.

C A P U T IV.

De Juribus Primatus adventitiis.

§. 179. Nunc vero exhibebimus illa reliqua ſummi Pontificis Jura, quæ tam in notione Primatus quam in antiquis legibus & factis incaſſum quæſita, tandem in re-

recentiorum Canonum ac poſteriorum temporum ſerie deprehendimus; atque igitur quia Primatui ſubinde tantum acceſſere, *accidentalia* vocamus.

§. 180. Accidentale ejuſmodi Jus I. eſt Jus confirmandi Epiſcopos electos, quandoquidem illud initio apud Metropolitanum cum ſuffraganeis (*a*) & poſthac cum moleſtum videretur propter ſingulas Epiſcoporum ordinationes provincialem ſynodum celebrare apud ſolum Metropolitanum tanquam præcipuas hac in re partes aliunde habentem fuerat, & demum ſeculo XIV. ſimul ab ordinatione ſeparata ſimulque ad Romanum Pontificem traducta legitur (*b*) cui ſemel reſervato facile etiam II. Jus admittendi poſtulationes (*c*) & III. Jus Epiſcopos conſecrandi adnectebantur (*d*).

(*a*) Concil. Nicæn. c. 4. Laodicen. cap. 12. Harduin. Tom. I. Col. 783. ſequ. Diſt. LXIII. Can. 36. Diſt. LXIV. Can. 1. 5. 6. 8. Syricii P. Epiſt. V. ad Afroſ. c. 1. apud Conſtant.

(*b*) Quamprimum enim prævaluere reſervationes Pontificiæ conferendorum Epiſcopatuum & beneficiorum, indignum videbatur, ut a ſummo Pontifice deſignatus Epiſcopus, porro confirmationem a Metropolitano peteret. Et ita demum cæperunt etiam ipſæ Epiſcoporum confirmationes univerſe reſervari. Conſ. Thomaſſin. P. II. L. 2. c. 19. ubi ſimul oſtendit: humanitatem & teſtificationem unionis, ac communionis cum prima ſede fuiſſe illas literas, quibus ad Romanum Pontificem datis primitias ſuæ ordinationis dedicare ſolebant: vid. etiam Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 155.

(*c*) *Poſtulati* hodie a Jure conſultis dicuntur ii, qui, dum ob *impedimentum canonicum elegi* nequeunt, petuntur *admitti*, quapropter ſicut non compellantur *electi* ſed *poſtulati*, ita enim non dicuntur *confirmati* ſed *admiſſi*. Primum fuiſſe Innocentium III. qui præter alia poſtulationes quoque ab arbitrio & gratia ſedis Apoſtolicæ pendere voluit, patet ex decretalibus titulo de poſtulatione Prælatorum.

(*d*) Vix erat apud veteres conſecratio a confirmatione ſejuncta, ſed uno eodemque quaſi actu ſynodo provinciali & examen electi & ejuſdem conſecratio, quæ ipſa manifeſtabat confirmationem, peragebantur. Vide Diſt. 64. Can. 6. & 8. & Conſ. Van-Eſpen P. I. Tit. 15. c. 1. Thomaſſin. P. II. l. 2. c. 42. n. 8.

§. 181. Progreſſi deinde ſummi Pontifices & reliqua porro ſibi reſervanda; quæ antehac in ſynodis provincialibus expediebantur, non tantum IV. Jus Epiſcopos transferendi (*a*) & V. eorum ceſſiones ac reſignationes admittendi (*b*), ſed etiam VI. Jus deponendi eoſdem (*c*) VII. ipſos Epiſcopatus uniendi dividendique (*d*), ac VIII. novos erigendi (*e*) inter Poteſtatis ſuæ incrementa accepere.

(*a*) Primus omnium fuit Formoſus Pontifex, qui hoc transferendi Jus ſibi ſumſit, dum nongentis retro annis nullum veſtigium intervenientis Pontificiæ authoritatis deprehenditur; ſed idem, ſi neceſſe fuerat, in ſynodis Provincialibus exercitum fuiſſe legitur. Conſ. ſynodus Charthag. IV. Can. 27. apud Grat. Cauſ. VII. q. 1. Can. 37. Antiochen. Can. 16. Epiſt. S. Baſilii 217. Tom. 3. oper. Edit. Benedictinæ. Fleurii Hiſt. Eccleſ. L. IV. §. 12. 27. Thomaſſin. Diſc. Eccleſ. P. II. L. 2. cap. 63. & 64. Alexander Natalis Tom. V. pag. 177. 451. & 700. Gibert. Corp. Jur. Can. Tom. II. Tit. 7. §. 5. pag. 128. ubi ſatisfit textibus Juris ad ſpeciem repugnantibus, quibus non immoramur, dum infra generatim dicemus, quænam præcipua & doctoribus, & ipſis Pontificibus erronea fuerint motiva ejuſmodi cauſas inter Romanæ ſedis reſervata numerandi.

(*b*) Vid. S. Auguſtini Ep. 261. ad Cæleſtinum P. & L. II. contra Creſconium cap. 11. & Conſ. Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag. 178. & 451. Gibert. l. c. §. 4. pag. 125. Petrus de Marca de concord. Sac. & Imp. L. VI. c. 8. qui abundantia ſuppeditant exempla renunciationum, in ſynodis provincialibus conſtanter & optimo jure peractarum,

(*c*) Concil. Antiochen. c. 14. & 15. Sardic. Can. 3. 4. 7. Conſtantinop. I. cap. 6. Chalced. Can. 9. Concil. Afric. in Cod. Eccleſ. Afric. c. 12. 15. 19. 23. 87. 88. 97. &c. aperte decernunt Epiſcopos in ſynodis provincialibus, & urgente cauſa Canonica deponi debere. Conſ. Petrus de Marca de C. S. & I. L. VII. Nat. Alexander Hiſt. Eccleſ. T. III. pag. 118. Schol. 5. T. V. pag. 454. 701. Quidquod etiam Cauſ. II. q. 6. Can. 11. & 13. dicatur, eo tantum in caſu Epiſcopos a collegis ſuis judicari non debere, quo ad Romanam ſedem provocarunt; ſed in Eccleſia veteri non tamen provocarunt aliter, aut ſecus ſaltem non ſunt auditi, quam ſi manifeſte oppreſſi fuiſſent. Habemus ſane exemplum Baſilidis Epiſcopi Hiſpaniæ ab Epiſcopis Provinciæ depoſitionem adtentis P. Stepha-

Digitized by Google

phani literis, quibus in integrum reſtitui jubebatur, vid. Ep. 68. S. Cypriani pag. 256. op. Cypriani Edit. Benedict. atque etiam Patres Sardicenſes urgebant, ut Pontifex cauſam in illa Provincia diſcuti curet, in qua reus deliquit, Conf. Fleurii diſc. 3. in Hiſt. Eccleſ. §. 3. Quapropter non contradicimus iis, quæ ipſi ſuperiores tanquam eſſentiale Primatus circa coercitiones aſſerebamus. Relegantur enim illa, & penſitetur, an non pro caſu aut deficientis correctionis, aut correctionis injuſtæ & oppreſſionis fuerint ſtabilita.

(*d*) Non adferri queunt exempla Epiſcopatuum a Pontifice unitorum, niſi ejuſmodi, qui Romanæ ſedi tanquam *Metropolitæ* obſtricti erant; unde igitur potius antiqua Metropolitanorum hac in parte jura probantur, quam demonſtretur, vi Primatus Romanum Pontificem tunc temporis unionem & diviſionem quorumvis Epiſcopatuum ſibi vindicaſſe. Ad quod non adtendebat Gratianus Cauſ. XVI. q. 1. c. 48. & 49. vid. Geographia ſacra Caroli a S. Paulo cum notis Lucæ Holſtein L. 2. n. 3. &c.

(*e*) C. 98. Eccleſiæ Africanæ, C. 7. Sardic. Can. 53. African., quem Gratianus advertentibus ipſis Correctoribus Romanis non fideliter, ſcilicet omiſſis verbis *id eſt Epiſcopos*, Cauſ. XVI. q. 1. cap. 51. retulit; porro Exempla S. Auguſtini & S. Remigii, quorum ille in caſtro ſuæ diæceſeos; hic Laudunenſem Epiſcopatum non interdicente Pontifice erexit, non ſinunt nos dubitare, etiam hoc olim negotium ſynodorum provincialium fuiſſe. Conf. Epiſt. S. Auguſtini 109. alias 261. Tom. 2. Edit. Benedict. Hincmarus opuſc. 33. c. 16. Ab undecimo demum ſeculo, initiis ſolum ſupplendo factis, id Jus S. Pontifici reſervatum haberi cœpit. Thomaſſin. Par. I. Lib. 1. c. 55. & denique XIII. Seculo etiam deputatio *Coadjutoris Epiſcopi* inter cauſas arduas ad Romanam ſedem referendas venit cap. unic. de Cleric. ægrotant. in 6.

§. 182. Eadem ratione IX. Jus beatificandi & canonizandi (*a*) X. Jus adprobandi Religioſos Ordines (*b*) XI. Jus pallium ita conferendi Archiepiſcopis, ut ibi abſque illo accepto poteſtatem ſuam plane exercere nequeant (*c*). XII. Jus quaſdam abſolutiones, diſpenſationes deciſioneſque cum Epiſcoporum excluſione impertiendi (*d*) ſucceſſu temporum ſibi reſervarunt.

(*a*) Conf. ſupra §. 142. not. f. Adde tantummodo, fruſtra a Bellarmino hoc jus ad Pontificatum Leonis III. referri, cum literas, in hujus rei fidem a Surio editas, eſſe fictitias demonſtret Mabillonius in ſec. Benedict. 3. p. 1. pag. 243. qui primum monumentum ſolemnis cujuſdam canonizationis per Pontificem factæ ſtatuit diploma Joan. XV. quo ad preces Lintolfi Epiſcopi Auguſtani, Udalricum ejuſdem Eccleſiæ quondam Epiſcopum in frequenti Epiſcoporum conventu albo ſanctorum inſcripſit. an. 995. Ceterum, dum olim inter beatificationem & canonizationem ea erat differentia, ut hæc cultu ad totam Eccleſiam extenſo, illa cultu ad loca perſonaſque particulares reſtricto conſiſteret; hodie definitiva ſententia de alicujus ſanctitate & de cultu aliis ſanctis debito per univerſam Eccleſiam eidem exhibendo canonizationem a beatificatione talem cultum nequaquam præcipiente diſtinguit Benedict. XIV. de ſerv. Dei beatif. L. I. c. 39. n. 14. edit. Rom.

(*b*) Quæ tyronibus de peculiaribus veterum regularis vitæ inſtitutis ſunt ſcitu neceſſaria, ſatis expoſui in meo Ord. Princip. Juriſpr. Eccleſ. P. II. L. I. c. 7. ibidemque oſtendi §. 194. not. f. tam in dimiſſione quam in admiſſione ad Religioſum ordinem olim præcipuam authoritatem Epiſcoporum interveniſſe; non vero ipſorum ordinem adprobationem a ſummo Pontifice fuiſſe petitam. Hanc ſane demum a tempore Innocentii III. ubi ſanctus Franciſcus & ſanctus Dominicus confirmationem ſui ordinis omnium primi Romæ petierunt, cognitam habemus. Statuit nempe ob inductam religioſorum ordinum multitudinem jam Innocentius in Conc. Lateran. *ne quis de cetero novam Religionem inveniat*, idque Decretum in Conc. Lugdunenſi renovatum, ac ſpeciatim additum: prohiberi omnino *Religiones & Ordines, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruiſſent*. Conf. c. fin. de Relig. domibus & c. unic. eod. in 6.

(*c*) Pallium hodiernum ab illo veteri amictu, prope regio; gratia Imperatorum ſummo Pontifici atque his illiſve præcipuis Hierarchis conceſſo, neque abſque Imperatorum indultu per Pontifices aliis concedi ſolito, longe diverſum & ad formam meri Eccleſiaſtici inſignis denique redactum ita deſcribit Barthelius. Eſt *faſcia quædam quatuor digitorum habens deſuper circulum humeros conſtringentem & duas lineas ab utraque parte, videlicet ante & retro tantiſper pendentes: habens etiam cruces purpureas (alii nigras adpellant) ante, ex retro, a dextris, & a ſiniſtris, infiguntur etiam tres acus aureæ, lapidem pretioſum in capite habentes, ſcilicet ante pectus, & ſupra ſiniſtrum humerum, & poſt tergum, & in utraque linearum extremitate aliquid plumbi poſitum eſt, ut firmius caſulæ adhæreat.* Et Pallium ita noſſe interim ſufficiat, donec de eo in Parte quarta hujus Introductionis inter illa, quæ ad modernam

Eccleſiæ politiam ſpectant, reliqua ſcitu neceſſaria dicemus. Hoc loco tantum notetur Jus conferendi Pallium ea ratione, ut Metropolitani id a ſede Romana cum ſpeciali fidelitatis juramento quærere debeant, ac prius Archiepiſcopi nomine uti, pontificalia ſolenniora exercere, convocare concilium provinciale, eidem præſidere provinciamque viſitare nequeant, tam certo veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitum, quam certum eſt, quam plurimos in occidente Metropolitas adhuc ſeculo VI. pallii Romani uſum non habuiſſe, conſ. Barthel in Diſſ. de Pallio, Petrus de Marca L. V. cap. 26. §. 9. Illud præcipue fidelitatis Juramentum ab illis, qui pallium accipiunt, præſtandum, quod pariter magis ſuo tempore examinabimus, ſi non ſalvo naturali & publico univerſali Jure intelligatur, cum veteris Eccleſiæ diſciplina nunquam concordabit.

(*d*) Reſervationes quarumdam diſpenſationum, attractiones variarum cauſarum, earumque deciſiones pariter tantum elapſis primis Eccleſiæ ſeculis, in quibus Epiſcopis cum ſuis ſynodis hæc omnia poterant, in Curia Romana apparuere; profecto jure divino & antiquo Eccleſiaſtico nulli caſus, nullæ diſpenſationes, nullaque alia ſummo Pontifici reſervata noſcuntur. Teſtatur Thomaſſinus de Diſcipl. Eccleſ. Part. I. L. II. cap. 13. 14. omnem hac in re poteſtatem pluribus ſeculis ab Epiſcopis exercitam, & ex ipſa tantum Epiſcoporum voluntate quamdam Romanæ ſedi eum in finem delata fuiſſe, ut ipſa ejuſmodi obtinendi difficultate conſervaretur rigor diſciplinæ, & ab hoc violando arcerentur ii, quorum vitia abſolutionum diſpenſationum & executionum facilitas promoviſſet. Imo abſolutiones & diſpenſationes citra Epiſcoporum conſenſum Romæ factas, a provincialibus ſynodis, & particularibus etiam Epiſcopis irritas declaratas eſſe hiſtoria Eccleſiaſtica nos edocet; ſed redibunt hæc ubi de juribus Epiſcoporum agemus. Conſ. interim Fleurii Inſtit. Eccleſ. L. I. cap. 1. §. 17. & diſcur. V. in Hiſt. Eccleſ. n. 3. Epiſt. Jacobi Regii ad Maximil. Imp. apud Freherum Tom. II. pag. 377.

§. 183. Denique XIII. jus recipiendi quaſvis adpellationes (*a*) XIV. legatos hodierno more mittendi (*b*) XV. conferendi beneficia extra territorium Romanum (*c*) tanto magis accidentalia Primatus Jura dici debent, quanto certius & perſpectius hoc ipſum jam eſt omnibus, qui illa Jura toties contradicta, & hic atque illic pactis publicis limitata eſſe norunt.

(*a*) Appellationes ad ſedem Romanam primis ſeculis ignotas fuiſſe novimus

Ubi edocemur cuncta in ſynodis provincialibus ita fuiſſe tractata, ut etiam ſententia adverſus Epiſcopum in iis lata, fuerit habita irreformabilis, & generatim ab Epiſcopo ad Metropolitanum, ab hoc ad Exarcham Diæceſis, vel Conſtantinopolitanum; non vero Romanam ſedem extra neceſſitatem unitatis conſervandæ refugium patuiſſe, niſi quod in exceſſum poteſtatis ſpiritualis adpellatio ad ipſum Principem obtinuerit, veluti jam ſupra oſtendi. Confer. Nov. 123. c. 22. quæ cum concil. Chalced. conſentiens illum a Metropolita ad Exarcham recurſum tantum permiſit, & neque hunc tanquam jure divino neceſſarium ſtatuit.

Ex concil. Nic. I. c. 5.
Antiocheni C. 15.
Chalced. C. 9. & 17.
Epiſt. Concil. Afric. ad Cæleſt. P.
Nov. 123. c. 22.

Invaluere nempe frequentes hæ adpellationes ſeculo IX. utut obſtantibus graviſſimis virorum tam doctorum quam ſanctorum querelis, cujuſmodi eſt, illa S. Bernardi L. III. de conſid. C. 2. quam tibi etiam ſuppeditat cl. de Riegger P. II. Inſt. Juris Eccleſ. §. 333. nov. E. Canones, in quibus adverſarii antiquiorem jutis ad ſedem Romanam adpellandi originem perhibent, denuo nos non morantur, utpote ab eruditis & in ſpecie Van-Eſpen in comment. ad hos can. & Fleurii Inſtit. Jur. Eccleſ. C. 23. P. III. ut ſpurii jam pridem notati. Neque ipſius etiam Concilii Sardicenſis Can. 3. & 4. nobis obmoveri poteſt. Ille enim ſub initium ſaltem hæc verba habet: SI VOBIS PLACET *ſancti Petri memoriam honoremus*: repetit in contextu, *ſi hoc omnibus* PLACET, & ſub finem ait: *ſynodus reſpondit* PLACET; quomodo quæſo quæſtio præmitti potuiſſet: *an ſynodo placet*, ſi jus adpellandi ad ſedem Romanam jure divino ſubſiſtere fuiſſet agnitum? Canon 4. autem plane de jure adpellandi non loquitur. Adpellat enim gravatus a Judice inferiore ad ſuperiorem; ut ſententia reformetur; hoc vero in canone ipſa ſynodus Pontifici Jus concedit, & quidem non ſententiam reformandi, ſed revidendi tantum, an non ſynodi Judicium *per Epiſcopos provinciæ vicinos* ſit reformandum. Et utique poſt hos canones tam orientalis quam occi

Digitized by Google

occidentalis Eccleſia in ordine judiciorum jura ſua multo tempore retinuit. Legi omnino meretur de hoc argumento Conradus Urſpergenſis in Chron. pag. 397. Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis Ep. 82. ad Honor. II. Pont. Max. In cauſis civilibus adpellationes ad ſedem Romanam reſtrictas habemus per omnes Capitulationes Imperatorum inde a Ferdinando IV. & per Receſſ. I. de an. 1654. In cauſis Eccleſiaſticis poſt Concilia Lateranenſia, duo ſub Alexandro & Innocentio III. ſi etiam Decreta ſynodi Baſileenſis taceamus, limites poſiti ſaltem aliqui per Concil. Trid. Seſſ. XXIV. cap. 20. de Ref. Conf. Van-Eeſpen I. E. U. P. III. Tit. 10. c. 1. Zallwein Tom. IV. q. 1. c. 4. §. 5. & Reverendiſſ. Abbas Stephanus Rautenſtrauch l. c. §. 124. ubi de privilegiis Caeſ. Regiis Regno Bohemiae de non evocando conceſſis, & de modo adpellationibus ad ſedem Romanam per Ferdinandum Parmae Ducem adprobantibus Regibus ejus agnatis ann. 1768. poſito praeclaram mentionem facit. Patet haſce adpellationes inter accidentalia Primatus referendo nos non contradicere dictis ſupra (§. 177.)

(*b*) Reflecte ad §. 172. not. quo ſenſu inter eſſentialia jura Primatus admiſerimus jus legatos mittendi, & conf. hanc in rem S. Gregorii M. Ep. 54. & 55. L. V. Edit. nov. Verum nec ex notione Primatus, nec veteris Eccleſiae praxi defendi poterant, qui deinde abuſus & quoad frequentiam legatorum, & quoad eorundem authoritatem Juribus Epiſcoporum noxiam, & quoad alia gentium & ſummorum Principum Iuribus contraria irrepſerunt. Quomodo Epiſcopi ſua Jura adverſus legatum Pontificium defenderint, lege in Labbaei Collect. Concil. Tom. IX. Col. 281. & Conf. Petrum de Marca de C. S. & I. L. V. cap. 45. n. 3. 4. & 6. nec non L. IV. cap. 27. n. 11. cap. 29. n. 3. 4. 5. Barthel. annotat. ad Jus Can. P. Engel L. I. T. 30. pag. 108. Oberhauſer Praelect. Can. L. I. T. 30. §. 18. Cautiones Galliae in legatis admittendis vide apud Hericout Loix Eccleſiaſtiques. Part. I. c. 7. §. 6. ſequ. Generales quidem limites authoritati legatorum poſitos ſtatuit Concil. Conſtant. Baſileenſe & Trident. Seſſ. XXIV. ſpeciales vero ex moribus & ſtatutis locorum deſumendi ſunt.

(*c*) Omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum plenariam diſpoſitionem ad Romanum Pontificem pertinere noviſſima erat poſt Clement. IV. c. 2. de praeb. in 6. canoniſtarum doctrina. Senſim videlicet ſine ſenſu, & quidem primum rogando, commendandove, deinde mandando, poſtea exequendo Pontifices ad beneficia certis perſonis conferenda Epiſcopos adegerunt. His ſemel, iterum, iterumque feliciter tentatis, quaedam dein penitus ſibi reſervarunt beneficia; atque tandem in cujuſcunque Beneficii collatione collatorem ordinarium praeveniendi jus, & ſibi arrogarunt. c. 31. de praeb. in 6. & adeo acerbe executi ſunt, ut apud diverſas nationes graviſſimi contra motus, quos ſubſecuta cum Romana ſede concordata vix compoſuerunt, non oriri non potuerint. Conſ. Franciſcus Duarenus de ſacris Miniſteriis L. III. c. 1. Molinaeus ad Regulam Cancellariae de infirmis reſignantibus nu. 172. Gravam. Eccleſ. Gallic. in Eduardi Braun ad Ortuinum Cratium appendice. Gerſonius Tract. de Reform. Eccleſ. cap. XXIII. ubi hoc negotium, ut olim ad Epiſcopos tanquam ordinarios Collectores pertinuit, & prout temporum ſucceſſu authoritas Epiſcoporum in eadem diminuta fuit, luculenter commonſtratur. Ultimum graviſſimumque inflixit vulnus Bonifacius VIII. cap. 31. de praeb. in 6.

§. 184. Omitto recenſionem plurium ejuſmodi Jurium, quae tanquam *acceſſoria acceſſoriorum illorum* Primatui adjudicata ſunt, ac eadem ſtatera aequo examine poſita facile queunt ponderari. Multoque lubentius praetereo ea, quae communiter, & ab ipſis Romanis eruditis non jam adeo, ut olim defenduntur (*a*), dum videlicet etiam iſti eruditi inde a temporibus Benedicti XIV. & Clementis XIV. ſenſa Gregorii M. ſenſa aliorum veterum ſummorum Pontificum, ſenſa tot doctiſſimorum S. R. E. Cardinalium ſcriptis celebrium, ſemper minus minuſque verentur profiteri.

(*a*) Puta, quae ſuperius (§. 88. ſeq.) jam demonſtravimus ſummo Pontifici non competere.

§. 185. Cauſa horum omnium Primatui aſſertorum, ſunt multijugae. Enimvero I. ea ipſa, quae Pontifices tantummodo extra ordinem, & aliorum defectus ſupplendi cauſa ſuſcepere, ab illis vi Monarchici regiminis facta fuiſſe complures arbitrabantur (*a*) II. complures jam a ſolis factis omiſſa juris diſquiſitione argumentabantur (*b*). Permulti quoque III. non intelligebant illam veterem Romanae ſedis cum aliis communicandi, aliaſque excommunicandi rationem (*c*) IV. Confundebant non pauci jura ſedis Romanae ex Patriarchali aliiſque ejus dignitatibus venien-

nientia cum juribus; quæ Primatui inhærent (*d*) V. quæ tot Epiſcopi Romanæ ſedi vel ex reverentia erga ea prorſus ſingulari, (*e*) vel pro teneræ ſuæ conſcientiæ in dubiis ſecuritate, (*f*) vel pro ſalutari rigore conſervando (§. 152. n. d.) ultroneo detulerunt, ea tanquam neceſſariæ & omnimodæ ſubjectionis teſtimonia accipiebantur (*g*). Contulere VI. figuratæ & male intellectæ quorumdam Patrum elocutiones (*h*) atque omnium maxime contribuit VII. ſtatus Eccleſiæ exterior per falſas Iſidori decretales immutatus (*i*) quem ipſum VIII. curia Romana non tantum conſervavit, ſed & auxit (*k*) eo facilius, quo major fuerat IX. incuria Metropolitarum, & Epiſcoporum tam in conſervandis ſuis Juribus, quam ſuis obligationibus explendis (*l*) X. univerſalis fere illorum temporum ignorantia (*m*) & diſciplinæ laxitas (*n*). Et dum XI. inter hæc ſimul crevit Romanæ ſedis etiam in temporalibus authoritas, (*o*) creverunt quoque XII. plura ab hac ſede quam aliunde timendi ſperandique motiva, (*p*) quæ omnia ad recognoſcendum & docendum (*q*) Monarchicum ſummi Pontificis Imperium, utinam non cum Epiſcopalis (*r*) & ſæpe etiam cum civilis regiminis (*ſ*) detrimento, impulere.

(*a*) Legi omnino meretur Thomaſſinus in reſponſione ad notas ſcriptoris Anonymi, quam ultimæ editioni ſui operis de Eccleſiæ diſciplina præfixit, not. 9.

(*b*) Facta ejuſmodi opinor, magis conſultum eſt, aut ſilentio præterire penitus, aut vitio in illa tempora conjecto excuſare, quam Jus eadem exhibendo velle evincere.

(*c*) In mutua Eccleſiarum communione veteres Epiſcopi præcipuum unitatis & unionis conſervandæ medium ponebant. Scribebant ad ſe invicem communionis literas & ab externis Eccleſiis venientes, ſi non ejuſmodi literis commendati eſſent, non recipiebant. Quæ ſaluberrima communio ut non obſtante Eccleſiarum multitudine fieri poſſet, eligebantur magnæ quædam ſedes, per quas ipſas reliquæ Eccleſiæ inter ſe communicarent. Et tum quidem Eccleſiæ orientis cenſebantur communicare cum occidentalibus, quando communicabant cum Patriarcha Antiocheno, utpote communicante cum Romano; & viciſſim Occidentales cum Orientalibus communicabant. Conf. S. Auguſtinus Ep. 162. S. Cyprian. Ep. 52. &c. Opponebatur huic ipſi Eccleſiarum Communioni excommunicatio, ea nempe ratione, ut Eccleſia advertens perverſam eſſe doctrinam, vel diſciplinam alterius Eccleſiæ, ejuſdem communioni nuncium mitteret, vel expreſſe id per literas ſignificando, vel a communione rejiciendo eos, qui inde veniebant. Quod tamen factum, ſi non ejuſdem Juſtitia adparebat, etſi ab ipſa Romana ſede ceteroquin unitatis centro promanaſſet, quemcumque ſtatim ſchiſmaticum non efficiebat, ſi modo ipſe ſervandæ communionis animum retineret, uti exemplum in Cypriano, Firmiliano, Meletio, Cyrillo aliiſque habemus. Omnium vero iſtorum alia non advertentes, alia non intelligentes quidam, totum communicandi & excommunicandi arbitrium in ſumma Pontificis poteſtate fuiſſe concludebant.

(*d*) Dicemus mox infra Romanum Epiſcopum & Patriarchæ Occidentis, Primatis Italiæ & Metropolitæ Frovinciæ Romanæ & Epiſcopi Urbis Romæ dignitatem habere. Cum igitur in multis ſibi ita ſubjectis Eccleſiis Jura Patriarchalia, Exarchica, Metropolitica, & Diæceſana exerceret, eadem vi Primatus in omnes orbis Catholici Eccleſias divino jure ab eo exerceri poſſe nonnulli exiſtimabant. Conf. Franciſcus Hallier Tract. de Sacr. Elect. & ordinat. pag. 650. ſeq. Du Pin de antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſſ. I. §. 11. Petrus de Marca de C. S. & I. L. V. cap. 26. Petrus Conſtant. ad Epiſt. Rom. Pontif. pag. 855. not. c. Per tales tunc opiniones non confundi non poterant immutabilia & neceſſaria cum accidentalibus & mutabilibus, qualia eſſe Jura Patriarchalia agnoſcit Bellarminus L. II. de Concil. cap. 8. op. Tom. II. col. 96. edit. Colon.

(*e*) Acceſſit nempe Eccleſiæ Romanæ ſingulare decus inde a S. Petro, idque per ejus ſucceſſores in Primatu continuatum. Idem roboratum quoque peculiari eorundem ſanctitate, adeo, ut hæc prædicata: *Sedes Apoſtolica*, *Vicarius Chriſti*, *Sanctitas*, Romana Eccleſia per eminentiam conſequeretur. Hæc vero prædicata ſucceſſu temporum non amplius antiquo ſenſu intellecta, ſed in ſignificationem Monarchici regiminis accepta ſunt. Atque ita etiam multoque facilius dein ad ſignificandum Monarcham detorquebatur prædicatum illud: *Caput Eccleſiæ*, quod Romano Epiſcopo tanquam Primatum honoris & juriſdictionis tenenti merito tribuebatur, cum id, quod primum eſt, optime titulo *Capitis* decoretur. Concil. Baſil. apud Harduin. Tom. VIII. Col. 1323. 1326. 1340.

(*f*) Inde Romana Eccleſia obtinuit Titulum: *Matris & Magiſtræ omnium Eccleſiarum*; qui quidem Titulus etiam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ tribuebatur. Harduin. Collect. Concil. Tom. I. Col. 827. & Tom. II. Col. 1025. Quidquod ipſam unitatem Catholicam Patres nomine *matricis & radicis Eccleſiæ* inſigniant, ut Cypria-

Digitized by Google

prianus Ep. 45. hoc nomine nil aliud intelligit, idque Epiſtola 71. ad Quintum declarat, & hinc idem prædicatum Eccleſiæ Romanæ, utpote circa unitatem conſervandam primas curas habenti adcrevit.

(*g*) Ad ipſa Romana Eccleſia ad S. Cyprianum relatinnes & conſultationes factæ leguntur. Conſtantinopolitanus quoque Antiſtes in dubiis conſulebatur l. 45. Cod. Theodoſ. de Epiſc. L. 6. Cod. Juſt. de SS. Eccleſ. Anne hæc argumenta Mnnarchici regiminis? ſi hæc nnn ſunt, nec illa. Et uti hæc voluntarie, ita etiam illa fiebant. Conſ. Petrus de Marca C. S. & I. L. VII. cap. 13. n. 4. Barthel. in annot. ad Patris Engel Jus Can. in Prœm. pag. 7.

(*h*) Ejuſmodi Patrum ſententiis cum in Concilio Flnrentinn Romani certarent, oppoſuere Patres Græci; *quæ onoris cauſa dicta ſunt, in conſequentiam trahi non debere*.

(*i*) In falſis nempe Iſidnri decretalibus 1. Pontifex univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus 2. nmnes majores cauſæ ad apnſtnlicam ſedem referendæ 3. Decreta Epiſcoporum & Cnncilinrum provincialium abſque authoritate ſummi Pnntificis nulla 4. Appellatinnes ad ſedem Romanam ſuſcipiendi pleniſſima libertas 5. ſummum in quoſvis Epiſcopos cnnfirmandos, transferendoſve arbitrium 6. authoritas Pontificia in cnnferendo Pallio 7. voluntas ſummi Pontificis, & conſuetudines Romanæ prn norma univerſali &c. tanquam primis jam Eccleſiæ temporibus agnita deſcribuntur. Conſ. Stephani Baluzii Præſatio ad Reginonis libros de Eccleſiaſticis diſciplinis, & Petrus Conſtant. in Præfat. ad Epiſt. Rnm. Pontif. edit. 1721. pag. 127. Flcurii Diſc. III. in hiſt. Eccleſ. n. 2. Alexander Natalis Hiſt. Eccleſ. Tnm. III. pag. 219. Gibert. Corp. Jur. Can. Prol. P. I. Tit. XXIV. cap. 9. ſect. 1. p. 258. Van-Eſpen de Coll. Iſid. Merc. quibus perlectis certe Iſidnrum ex capite fraudis piæ excuſare poſſe nnn cum Luppo exiſtimabis. Optime auctores hiſtoriæ literariæ Gall. Tnm. IV. p. 28. Iſidori collectinnem vocant *opus tenebrarum, quod deinde ſerviit non ſolum obſcurandæ, ſed & penitus evertendæ omni ſcientiæ Juris Canonici*. Enimvern ab en tempore collcctores canonum merces Iſidori ſuis codicibus inſeruerunt. Ab eo tempnre ait Conſtant. *debilitati penitus fractique diſciplinæ nervi, perturbata Epiſcoporum jura, diſcordiarum, ſeditionum ac litium ſeges immenſa, quæ tot ſeculis ad Eccleſiæ dedecus fideliumque offenſionem fructitavit*. Ab eo tempore, ut dicit Papebrochius in propilæo pag. 4. n. 15. nnn tantum *Eccleſiaſtici Juris compilatoribus, ſed etiam Nicolao I. ejuſque ſucceſſoribus, nec non conciliis tam generalibus quam particularibus illuſum eſt*, quapropter etiam Alexander Natalis Tom. III. Diſſ. 21. in ſec. I. art. 1. p. 214. recte concludit, non mirum ſed laudandum eſſe, *quod concilia & eruditos authores, qui poſt octavum ſeculum floruerunt, viri hujus ſeculi doctiſſimi emendent in rebus criticis, quarum media ætas rudis erat: maxime, cum illa mediæi ætatis concilia illique authores, terminos ſib a Patribus conſtitutos hac in re tranſgreſſi fuerint, decretales octo prioribus ſeculis ignotas laudando, nec recentem nothorum fætuum animadvertendo natalem*.

(*k*) Zallwein Tnm. IV. Quæſt. 3. cap. 5. §. & ipſe etiam ſummus Pontifex Hadrianus VI. id teſtatur, dum ait apud Raynaldum an. 1522. n. 70. *ſcimus in hac ſancta ſede omnia in perverſum mutata eſſe*, quæ mutatin ſane nnn ipſi ſanctæ ſedi; ſed curiæ imputanda eſt, neque per ſummos Pnntifices tam cito corrigi pnteſt. S. Bernard. de Conſid. L. I. c. 2. Conſ. Caroli V. Epiſtola ad Clement. VII. apud Goldaſtum Conſtit. Imperial Tom. IV. P. II. pag. 81.

(*l*) *Ignari Epiſcopi*, bene inquit Rebuffus in Tr. Benefic. Titul. de diſpenſantion. ad plura beneficia §. 32. *neſcientes quam pulchra jus Cannonicum eis tribuiſſet privilegia, paulatim ex conſuetudine, & ſtylo curiæ Romanæ derogare illis paſſi ſunt, & jus ſuum neglexerunt*. Bene quoque inquit Conſtant. ad Ep. Rom. Pont. pag. 127. *Iſidori ætate nil mirum ab hujuſmodi fraudibus non item cautum eſſe. Diſciplinæ veteris ſeveritatem laxaverat Præpoſitorum incuria, ſeu fatalis illa rerum humanarum conditio, ut optima quæque non ſit diuturna. Accedebat paucitas hominum, qui & intimam antiquitatis cognitionem, & ſanioris critices guſtum haberent. In hoc rerum ſtatu irrepſit ſenſim, neque animos ſtatim perculit latens error, & ſub graviſſimorum nominum perſona invaluit, ſic tamen ut majorum noſtrorum quaſi ſomno adoleviſſe videatur*.

(*m*) De ignnrantia communi illorum temporum omninn legi meretur Fleurii Tom. XIII. Hiſt. Eccl. vid. in mea collect. Lucubr. In diſtrib. IV. Diſc. III. Fleurii in Hiſt. Eccleſ. §. 2. & in Diſtr. V. Diſc. IV. §. 8.

(*n*) Cnnſ. cit. Diſc. Fleurii §. 9. ubi Epiſcopos & Clericos venationibus, militia, juriſdictione ſeculari, divitiis Eccleſiarum, Simonia, aliiſque diſtractos fuiſſe exhibet. Quæ ſane in moribus Antiſtitum mutatio ad eorundem authoritatem diminuendam, & hoc ipſo ad facilitandam Romanæ Curiæ intentionem contribuit; nimirum contra Epiſcopos ita diſtractos ita incurios, ita ſuum munus negligentes facile erat varias exemptiones variaque privilegia petere, nec non facillimum ejuſmodi a ſede Romana impetrare.

(*o*) Conſ. Fleurii cit. Diſc. III. §. 9. & 1n. nec non cit. Diſc. IV. §. 9. & 10. ubi ſatis explicat effectus & incommoda Poteſtatis ſecu-
laris

Digitized by Google

laris in Eccleſiam introductæ, quorum præcipuus erat ipſius poteſtatis utriuſque confuſio, & conceptum illud in omnes etiam ſeculares Principes temporale imperium. Adde Bellarminum L. I. de Clericis cap. 16. op. Tom. II. Col. 279. edit. Col. qui etiam in Principatu temporali cauſam ponit, cur Epiſcopi Cardinalibus ſint poſtpoſiti. Ceterum conf. etiam Muratorius rer. It. ſcript. Tom. III. P. II. pag. 194. & Droits de L'Empire ſur L'Etat Eccleſiaſtique C. VI. pag. 77. ſeq.

(*p*) Conf. Card. de Luca in Relat. Curiæ Romanæ diſſ. 19. n. 20. Zallwein Tom. IV. Q. 2. c. 2. §. 1. item Q. 3. cap. 2. §. 12. & cap. 5. §. 3. nec non ſpeciatim Andreas Epiſcopus Magorenſis Hiſpanus in Gubernaculo Conciliorum P. III. pag. 181.

(*q*) Jam diximus in Tom. I. §. 68. ſequ. collectiones canonum mercibus Iſidori plenas a Pontificibus in academias Italiæ pro norma docendi miſſas, & inde principia Iſidoriana ab Auditoribus in alias etiam terras delata fuiſſe. Quibus dein Principiis veluti civitate donatis doctores ſequentes, abſque previo examine priorum, hos ipſos allegando contenti erant. Barthel. Diſſ. III. de Concord. Germ. in Præf. §. 4. & ſequ. Conf. Fagnani ad Decretales commentarium, repletum abunde propoſitionibus, quæ certo non tantum prudentum in jure Eccleſiaſtico, ſed etiam piarum aurium ſunt offenſivæ.

(*r*) Conf. Boſſuet in defenſ. cleri Gall. Tom. II. pag. 411. Nos de vulnere, quod cumprimis exemptiones authoritati Epiſcopali intulere, & de tot querelis juſtiſſime contra eas motis infra dicemus.

(*ſ*) Reflecte ad tempora Henrici IV. Friderici II. Ludovici Bavari &c.

CAPUT V.

De Authoritate Decretorum ſummi Pontificis.

§. 186. Ex hiſce, quæ de Juribus Romani Pontificis hactenus expoſuimus, facile determinari poteſt, quam authoritatem habeant Decreta Pontificia, quæ nil aliud ſunt, quam ſtatuta atque ordinationes ſummi Pontificis de rebus ejus curæ atque adminiſtrationi commiſſis.

§. 187. Nititur nempe id, quod ſummi Pontificis decreto continetur, vel *divino* Jure in illis, quæ ad eſſentiam Primatus ſpectant; vel *humano* in iis, quæ accidentalia ſunt, & ſalvo primatu abeſſe queunt (*a*).

(*a*) Id attendere plurimum refert, ne divinis quæque inſtitutis æquiparemus, & ne ſolis turbemur verbis, quibus ſubinde ipſi SS. Patres aliquid vel honoris & æſtimationis ſuæ exprimendæ cauſa, vel quocunque remotiori in ſenſu *divinum* adpellant, quin ipſis animus fuerit, idem revera ex divina inſtitutione deducendi.

§. 188. Eſt autem non minus diſcernendum, num Pontificis Decretum *Dogma*; num *diſciplinam* concernat, num illa omnia, quæ eo continentur, ad cauſam pertineant, num vero irrepſerint tantummodo ex *accidenti* (*a*), num *conſilii* magis, num *præcepti* naturam imitentur, num denique negotia & vere Eccleſiaſtica, & ad Pontificium forum pertinentia ſeu illa *immediate* ſeu per *conſequentiam* Publica, ſeu penitus *privata* ſint, complectantur, num vero ad negotia vel *Epiſcoporum* vel *Principum* Juribus ſubjecta ſeſe extendant.

(*a*) Ita excuſanda multa in decretalium Epiſtolis, Confer. Cauſ. XXXII. quæſt. 7. Canon. 18. Diſtinct. IV. de Conſecr. Canon. 14.

§. 189. Univerſe ad Conſtitutiones Pontificum, ut plenam obligandi vim ſortiantur, ex iis, quæ ſtabilivimus, requiritur, ut I. non adverſentur ſaluti Eccleſiæ, cui adverſari velle nec quidem præſumi poſſunt Pontifices (*a*) eadem de cauſa II. non præjudicent Juri tertii, præcipue Juribus Principum & populorum tranſactionibus, regnorumque ac Diæceſium conſuetudinibus (*b*) III. non verſentur circa negotia foro Pontificio non ſubjecta (*c*) quapropter etiam neceſſe eſt, ut ſint IV. inſpectæ a ſummis Principibus tanquam defenſoribus ſuarum terrarum, & cuſtodibus

Digitized by Google

bus Canonum (*d*) V. Inſpectæ ab Epiſcopis tanquam Rectoribus Eccleſiæ non minus a Spiritu ſancto poſitis (*e*) & generatim VI. quovis in loco, cujus fideles obligaturæ ſunt, legitime promulgatæ (*f*).

(*a*) Conf. Diſt. XIX. Can. 7. Cauſ. XXV. q. 1. Can. 6. & 9. cap. 6. de Præb. & dignit. Adde Innocentii III. L. I. Epiſt. ad Faventinum Epiſc.

(*b*) Conf. Diſt. XI. cap. 8. de Clericis conjugatis, veriſſime igitur Leo Papa IX. in Epiſtola ad Michael. Cercul. Tom. IX. Concil. Labbæi Col. 966. ſcribit: *Nil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ poteſt, uni Deo commendat omnes*. Vid. etiam Cardinalis Bona Rer. Liturg. L. I. cap. 2. 9. 10. 11. 12. Muratorius L. de Ingen. Moderat. in relig. negot. L. I. c. 15. & Petrus de Marca de Conc. ſacerd. & Imp. L. II. cap. 16. n. 6. L. III. c. 7. L. IV. cap. 6. num. 3. ubi late diſſerit de illo S. Leonis effato. *Manet ergo Petri Privilegium, ubicumque ex ipſius fertur* ÆQUITATE *judicium*. Omne præjudicium alienis Juribus inferendum ſe a ſuis decretis remotum velle ita ſignificabat Gregorius M. *Sicut ab aliis noſtra exigimus: ita ſingulis ſua jura ſervamus*. L. III. Ep. 29. & ita etiam Innocentius III. *Sicut jura noſtra volumus ſervari, ſic aliorum Jura voluimus illibata ſervare*. L. I. in Ep. ad Rect. Tuſciæ.

(*c*) Hinc nullum robur habent, quæcunque objiciantur conſtitutiones, ſi in negotiis civilibus ſint editæ, nec etiam, quatenus ſunt receptæ, ut Pontificum, ſed ut ſummorum Principum decreta obligant; (§. 52.) videantur hac de re ipſorum ſummorum Pontificum teſtimonia in cap. 13. de judic. cap. 7. §. 1. de adpell. cap. 7. qui filii ſint legitimi. Conf. Petrus de Marca in Præfat. de Concord. Sac. & Imp. & Gibert Proleg. P. poſt. Tit. IX. p. m. 58.

(*d*) De hoc late egimus ſupra §. 110. not. d.

(*e*) Epiſcopi de fidelibus ſibi a Deo commiſſis exploratum habent maxime, quid valeant illi, quid ferre recuſent, ac proinde propius cognitis locorum temporum perſonarumque adjunctis, num ejuſmodi decreta particularis ſuæ Eccleſiæ ſaluti vere expediant, melius pervidere ac Pontifici referre poterunt. Præterquam quod Epiſcopis utique juribus ſibi propriis liceat invigilare, atque vel ex hoc etiam capite Decretorum Pontificiorum inſpectio ipſis denegari nequeat. Ceterum uſque veriſſimum manet, decretales Pontificum Epiſtolas non tantum, quæ vetera renovant, ſed etiam quæ nova conſtituunt, niſi gravis obſiſtat cauſa, ab Epiſcopis reverenter eſſe acceptandas. (§. 175. & 176.) Conf. Petrus de Marca L. II. c. 16. n. 6. L. III. cap. 7. Flodoard. Hiſt. Remen. L. III. cap. 21.

(*f*) *Leges inſtituuntur cum promulgantur* dicitur in Diſt. IV. can. 3. Et hinc nec illæ quidem leges robur habere poſſunt quarum publicatio tantummodo Romæ eſſet facta; veluti de hoc nos convincunt.

1. Sanæ rationis lumen, quod ex natura promulgationis intelligit, eum eſſe debere actum, per quem ſubditi in cognitionem legis venire queunt, & ad quem ideo inter promulgationis locum & loca, quibus fit promulgatio, ſane proportio requiritur.

2. Voluntas fundatoris noſtræ Eccleſiæ, qui legem ſuam non Hieroſolymis affigi, ſed Apoſtolos per mundum univerſum ire, & omni creaturæ Evangelium prædicare juſſit. Marc. XVI. 15.

3. Exemplum Apoſtolorum, qui ea, quæ in Concilio Hieroſolymitano decreta fuerant, per Paulum, Barnabam, Judam & Silam in ſingulas civitates perferri curarunt. Act. XV. 25. & ſequ. XV. 4.

4. Obſervantia veteris Eccleſiæ, in qua literis *encyclicis*, quæ etiam *circulares* & *catholicæ* a ſcriptoribus vetuſtis compellantur, promulgationes factas eſſe novimus.

5. Univerſale civitatum Jus, quod Principibus Rempublicam defendendi, ideoque, ne eidem ſub Religionis prætextu noceatur, inſpiciendi facultatem adimi non ſinit, atque naturalem nobis ſuppeditat concluſionem, ejuſmodi legem, de qua ante inſpectionem non conſtat, num vere Eccleſiaſtica lex ſit, ante eandem inſpectionem certe non eſſe ſufficienter promulgatam.

6. Canonici Juris corpus, in quo & quidem C. 13. de pœnit. & remiſſ. ipſe Innocentius III. neminem ſuæ conſtitutionis tranſgreſſorem habet, antequam ea per Prælatos locorum fuerit publicata.

7. Concilium Tridentinum, quod Decretum clandeſtina matrimonia irritans in ſingulis parochiis promulgari jubet: Seſſ. XXV. c. 1. de Reform. matrim.

8. Jus civile, cujus auctoritas etiam in Materia Eccleſiaſtica, dum cum genuinis Eccleſiaſtici Juris Principiis conſentit, eademque tuetur, non valere non poteſt, quodque in Nov. VI. c. 8. in Epil. §. 1. nobis exhibet legitimum promulgandi modum his verbis: *Sanctiſſimi* PATRIARCHÆ *uniuſcujuſque diœceſis hæc proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis, & maniſeſta faciant Deo amabilibus* METROPOLITIS, *quæ a nobis conſtituta ſunt. Illi quoque rurſus etiam proponant ipſi ea in metropolitana ſanctiſſima Eccleſia, & conſtitutis ſub ſe* EPISCOPIS *hæc manifeſta faciant. Illorum vero*

ſinguli in propria Eccleſia hæc proponant &c.

9. Ipſa quæ ad leges utiliter ferendas neceſſaria eſt prudentia: nimirum, ne leges frequentiori exceptioni non ſufficientis promulgationis fiant obnoxiæ. Conf. cl. de Riegger & Schrott l. c.

CAPUT VI.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiſcopis.

§. 160. **Diſputant acerrime tam de nomine Patriarcharum, videlicet, unde derivandum, (*a*) quo tempore uſurpari cœptum ſit, (*b*) quam de eorumdem poteſtatis origine (*c*). Nos quidem I. poteſtatem, quæ Patriarchis in externa regendi politia præ aliis Epiſcopis propria adhæſit, Nicæno concilio multo antiquiorem (*d*) II. eorundem Nomen eo, de quo hic agimus, Hierarchico ſenſu primum in ſynodo Chalcedonenſi Romano Pontifici tributum. (*e*) III. quadam deinceps imitatione etiam Alexandrinum (*f*) Antiochenum (*g*) Hieroſolymitanum (*h*) *Conſtantinopolitanum* (*i*) alioſque nonnullos (*k*) ita eſſe adpellatos. (*l*) IV. Patriarcharum neque eadem ſemper jura (*m*) neque pares ſemper prærogativas (*n*) neque ditiones æque amplas fuiſſe, certiſſimis edocti monumentis defendimus (*o*).**

(*a*) Quidam Patriarcham quaſi *ἄρχωντα πατέρων Principem* Patrum dictum eſſe opinantur, alii vero hanc adpellationem inde deſumunt, quaſi *πατριᾶς ἄρχων gentis Primas*. Illorum opinio magis ſane Eccleſiaſtici regiminis gradum exprimit, dum GENTIS *Primas* profanum potius recipit ſenſum; *Principes* autem *Patrum*, Patriarchæ obtutu Primatum Archiepiſcoporum Epiſcoporumque, quibus præpoſiti ſunt, merito compellentur. Conf. Suicerus ad γ. *πατριαρχης*.

(*b*) Novimus, pridem & apud Judæos & apud Hæreticos, qui a *Montano Montaniſtæ* dicti ſunt, fuiſſe homines, qui Patriarchæ audiebant; ab orthodoxis tamen Chriſtianis adhibitæ hujus adpellationis veſtigia ante ſeculum quintum non deprehendimus.

(*c*) Patriarchalis poteſtatis originem aliqui ipſa naſcentis Eccleſiæ ætate, aliqui paulo ante Concilium Nicænum; quidam in hoc eodem Concilio; nonnulli poſtea demum quærendam eſſe ſibi perſuadent, quorum a ſingulis cur recedamus, illico patebit.

(*d*) Can. 6. enim Concilii Nicæni (qui de Epiſcopis non ſupra unam ſed multas provincias poſitis, & non tantum Epiſcopos ſed Metropolitas ordinantibus, atque adeo de Patriarchis; etſi hoc nomen nondum adhibuit, loquitur) circa eorundem poteſtatem ſtatuit: *antiqua conſuetudo ſervetur*: niſi itaque pridem ante invaluiſſet, profecto a Nicænis Patribus ad antiquos mores non eſſet provocatum. Apoſtolicam tamen originem eidem, ut hic conſideratur, poteſtati adſerere nos monumentorum non ſinit defectus. Ceterum ſcias velim eam *Hieronymi* Epiſtolam, qua ad Pammachium ſcripſit, in Concilio Nicæno decretum fuiſſe: *ut Paleſtinæ metropolis Cæſarea eſſet & totius orientis Antiochia*: moviſſe illos, qui Patriarcharum originem huic ipſi concilio adſcribunt. Infirmum ſane motivum; dum & citatus Canon 6. obſiſtit, & Hieronymo ea tantummodo mens fuerat, Patriarchas atque Metropolitas, qui multo ante extiterant, confirmationem canonicam in hoc Concilio accepiſſe.

(*e*) Conf. *Richerius* Hiſt. Concil. Tom. I. c. 2. §. 11. & vid. *Concil. Chalced.* Act. III. ubi *Theodorus* & *Iſchiron* Diaconi Alexandrini & *Athanaſius* Presbyter Alexandriæ libellos ſuos inſcripſerunt *Leoni M. P. Sanctiſſimo & univerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ Magnæ Romæ*, apud *Harduin.* Tom. II. Col. 321. 326. & 331. Adde *Petrum de Marca* L. I. c. 3. de Conc. Sacerd. & Imp. *Thomaſſinum* de vet. & nov. Eccl. Diſcipl. Lib. I. c. 3. 13. *Mamachium* L. IV. Orig. Eccleſ. p. 553. & Joſ. *Bingham.* Orig. Eccl. L. II. c. 17. Quæ vi Patriarchalis hujus dignitatis ſummus Pontifex in Eccleſias ei inſtitutione humana ita ſubjectas exercebat, hæc jam ſupra monui advertenda eſſe contra eos, qui eadem illa vi Primatus & jure divino in omnes Eccleſias a Pontifice exercita fuiſſe & exerceri poſſe exiſtimant, atque hinc etiam Cauſ. III. q. 6. c. 8. ſemper male ſunt interpretati.

(*f*) *Antiqua conſuetudo* (ait cit. can. Conc. Nicæni) *ſervetur per Egyptum, Lybiam, & Pentapolim ita, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt:* Dum igitur hoc Canone Alexandrinus Epiſcopus cum Romano componitur; non ſolum quoad Jus Metropolitanum, verum etiam quoad jura Patriarchica, non tantum celebrandarum ordinationum, aut confirmandarum electionum, verum etiam quoad cetera jura Patriarchicæ dignitatis, uti ſolide demonſtrat Alexander Nat. Hiſt. Eccl. Sec. IV. Diſſ. XX. quæ omnino

legi

legi meretur) non mirum eſt ſtante pro Alexandrino aliiſque eadem ratione, ex qua in Concilio Chalcedonenſi Pontifex Patriarchæ nomen obtinuit, id ipſum nomen imitatione deinceps ad Antiochenum alioſque eſſe translatum.

(*g*) *Similiter autem* (proſequitur cit. Can.) *& apud Antiochiam ceteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis*, ſuper quibus verbis ſcribit Innocentius I. ad Alexandrum Antiochenum Patriarcham Epiſt. 18. *Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim ſacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper Diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam provinciam recognoſcimus conſtitutam. Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quæ conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſumatumque gauderet. Itaque arbitramur frater cariſſime, ſicut* METROPOLITANOS *auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua finas* EPISCOPOS *procreari*. Conf. Alex. Nat. l. c.

(*h*) *Magna ſemper veneratione fuit Jeroſolymorum Eccleſia ab exordio Chriſtiani nominis, quam veriſſime Juſtinus Imperator ad Hormiſdam Pontificem ſcribens* MATREM CHRISTIANI NOMINIS *appellavit — — illi uſque Antiſtites ſpontanea ceterorum Epiſcoporum conceſſione, & veneratione erga locum adorandis Chriſti veſtigiis, & myſteriorum ſalutis noſtræ conſummatione ſanctificatum, primatum quendam ſaltem honoris habuerunt — — Nicæna ſynodus laudabilem & antiquam traditionem confirmans hunc Primatum honoris Epiſcopo Æliæ, id eſt Jeroſolymitanæ civitatis, quæ ab Ælio Adriano Imperatore juxta veterem Jeruſalem ædificata Ælia vocata eſt, detulit, ſervatis Epiſcopo Cæſareenſi Metropoliticis Juribus*. Verum ob hanc eandem *honoris conſequentiam* ſedes Hieroſolymitana dein cum aliis in vehementem venit contentionem, quam demum finivit Concilium Chalcedonenſe, adſentientibus etiam legatis Romanis confirmans: veluti Antioch[illegible]s & Hieroſolymitanus ipſi inter ſe convenerant, ita ad hunc tres Palæſtinas, ad illum autem duas Phœnicias & Arabiam pertinere. *Atque hinc omnia Eccleſiaſticæ Antiquitatis poſt concilium Chalcedonenſe monumenta Jeroſolymitanum Epiſcopum, ut trium Palæſtinarum Patriarcham exhibent* — — quemadmodum etiam *concilio trium Palæſtinarum anno 518. celebrato Jeroſolymitanus Epiſcopus præſuit — — falſo itaque Willelmus Tyrius L. 14. C. 2. ſcribit, Patriarchicam dignitatem Jeroſolymitano Epiſcopo primum fuiſſe delatam in ſynodo V. Oecumenica*. Alexander Nat. in Hiſt. Eccleſ. Sec. V. Diſs. XVI.

(*i*) Repugnantibus incaſſum ſedis Apoſtolicæ legatis in Conc. Chalcedonenſi Can. 28. ſedi Conſtantinopolitanæ confirmata ſunt Patriarchica privilegia hac ratione, ut primo poſt Romanam Eccleſiam honore frueretur, haberet poteſtatem in Thraciæ Ponti & Aſiæ Diœceſes, earumque Metropolitas & Barbarorum inſuper Epiſcopos ordinaret. Atque hæc quidem confirmatio facta Patribus univerſis ita acclamantibus: *nemo coactus eſt, ſponte ſubſcripſimus, hæc juſta ſententia, hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent; quæ conſtituta ſunt valeant*, omnia ordinate *decreta ſunt*. Conf. Alex. Nat. in Hiſt. Eccl. Sec. V. c. III. §. XVII. ſed & conf. *Thomaſſinus* de vet. & nov. Eccl. Diſciplina P. 1. L. I. c. 10. & *Petrus de Marca*, Diſs. de Conſt. Patriarch. Inſtit. Certiſſimum eſt ipſa ſedis Imperii translatione & urbis & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ honorem ac præcellentiam fuiſſe auctam, atque ideo jam a ſynodo Conſtantinopolitana I. c. 5. decretum; *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, eo quod ſit nova Roma*. Quem licet Canonem tum non recepit Occidens, poſtea tamen in Concil. Later. IV. Can. 5. patriarchalia Conſtantinopolitanæ ſedis privilegia loco poſt Romanam Eccleſiam primo confirmata ſunt. Vid. C. 23. de Priv.

(*k*) Poſterioribus ſcilicet temporibus Patriarchæ Titulus pluribus obtigit; veluti: *Aquilejenſi, Gradenſi* in Iſtria, qui poſtea propter aeris intemperiem a Nicolao V. an. 1441. translatus Venetias & inde *Venetiarum Patriarcha* adpellatus eſt; *Indico* &c. Præterquam quod quidam veterum patriarchatuum renati ſint, uti, *Armenorum, Cophtorum, Ruthenorum*; vid. C. 9. Diſtinct. XXXII. C. 20. IX. 9. 1.

(*l*) Can. 5. ſupra cit. Conc. Later. IV. non tantum jura ac privilegia veterum & majorum Patriarchatuum confirmata ſunt, ſed etiam is inter illos determinatus ordo, ut poſt *Romanum* proximo loco *Conſtantinopolitanus*, tum *Alexandrinus*, porro *Antiochenus*, poſtremo *Hieroſolymitanus* veniret. Vid. cit. Can. 23. de privil.

(*m*) Præcipua & fere omnibus communia jura hæc numerantur.

1. Omnes ditionis ſuæ Metropolitas per ſe, aut per legatos ſuos ordinare (ipſe Pattiarcha a Concilio ſuæ diœceſeos ordinabatur.)

2. Convocare ſynodos, & in iiſdem præſidere,

I 2 3. Ani-

Digitized by Google

3. Animadvertere Cenſuris Eccleſiaſticis non tantum in Metropolitas, ſed etiam eorum ſuffraganeos Epiſcopos, quando his illi plus juſto connivebant.

4. Graviora Eccleſiæ negotia decidere.

5. Dirimere controverſias omnium ditioni ſuæ ſubjectorum Metropolitarum.

6. Iis, qui a Metropolitis ſynodiſque provincialibus gravati erant, juxta Canones 9. & 17. Concil. Chalced. ab Imperatoribus admiſſos & firmatos, recurſum & adpellationem ad ſe concedere, ita ut nulla pars latæ dein ſententiæ contradicere valuerit, Nov. 123. C. 22. id quod denuo indicat: adpellationes ad ſedem Romanam Juſtiniani tempore nondum fuiſſe cognitas.

7. Leges tam Eccleſiaſticas quam civiles circa ea, quæ ad Eccleſiam pertinent, latas promulgare, ea ratione, quam præſcribit *Juſtinianus* Nov. 6. in Epil. videlicet, ut leges per Patriarchas Metropolitis, per Metropolitas Epiſcopis, per Epiſcopos ſingulis propriæ Eccleſiæ innoteſcerent.

8. Generatim invigilare, ut unitas fidei ſervetur per mutuam concordiam & unanimem de orthodoxa doctrina conſenſum, quem in finem etiam poſt ſuam ordinationem communionis literas mittebant. Vid. Nov. 7. c. 1. Nov. 37. c. 5. Nov. 131. cap. 3.

(*n*) Sic Concil. Chalcedonenſe Conſtantinopolitano Patriarchæ interdixit ordinatione Epiſcoporum, juſſitque C. 16. *uniuſcujuſque civitatis Epiſcopum ordinari ab omnibus aut pluribus provinciæ Epiſcopis poteſtatem habente Metropolitano ſecundum Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus Archiepiſcopo Conſtantinopolitano*. Idem vero Jus per omnem ſuam Diœceſim exercere licuit *Alexandrino* teſte *Syneſio* in Epiſt. 86. ad Theoph.

(*o*) Conf. Cl. de Riegger, & qui ab eodem laudantur l. c. §. 113. uſque 124.

§. 191. *Primatis* nomen (*a*) olim nonniſi aliud ipſorum Patriarcharum; atque iis ſolis proprium nomen fuerat. (*b*) Singularem vero deinceps in Hierarchia Eccleſiaſtica conſtitutum gradum denotans, illis præcipuarum quarumdam urbium obtigit Epiſcopis, quibus quædam ſupra cæteras Metropoles prærogativa deferebatur. (*c*) Eadem prærogativa alii quidem abſque ulla in Metropolitanos auctoritate (*d*) alii contra eum præcipuis in hos juribus (*e*) gaudebant, ſed inter neutrius hujus generis *Primates Diœceſeon* eorumque Hierarchicum gradum referendi ſunt illi, quorum tria genera titulo *Primatum Provinciarum* inſignita nobis antiquitas prodidit (*f*).

(*a*) *Primas* generatim ſignificat eum, qui primum ac præcipuum locum alicubi obtinet.

(*b*) Vide Can. 2. Diſt. 99. qui exhibet quidem *Anacleti* decretalem, ſed ſuppoſitam; deſumtus enim hic canon eſt ex illo Capitul. Carol. M. *Ne alii Metropolitani adpellentur Primates, niſi illi, qui primas ſedes tenent, & quos ſancti Patres Synodali & Apoſtolica auctoritate Primates eſſe decreverunt. Reliqui vero, qui alias Metropolitanas ſedes ſunt adepti, non Primates ſed Metropolitani vocentur.*

(*c*) Conf. Petrum de Marca in Diſs. de Primatibus. Hinc ipſe etiam Romanus Pontifex, qui jam ſex primis Eccleſiæ ſeculis cum peculiari prærogativa ſeptendecim præfuit provinciis, queis Italia conſtat, inde nomen Exarchi & Primatis Italiæ habet. Conf. Carolus a S. Paulo in Geographia ſacra L. 1. Sirmondus cenſura in Anonymi de ſuburb. Reg. P. 2. c. 5.

(*d*) Hoc in ſenſu olim in Germania omnes Archiepiſcopi (excepto Viennenſi in Auſtria, qui ſcilicet recentior eſt) Primates ſalutabantur, quia ipſi alteri cuipiam Primati non erant ſubjecti: Conf. Maſcovius in Diſs. de Primat. Eccleſiæ Germanic.

(*e*) Nimirum ut

1. Epiſcopos & Metropolitas ante ordinationem confirmarent.

2. Gravioris momenti cauſas deciderent.

3. Convocarent concilia nationalia.

4. Invigilarent in ditione ſua legum Eccleſiaſticarum obſervantiæ & diſciplinæ, atque ſi malo unitatem turbanti non mederi poſſent, ad ſummum Pontificem referrent.

5. Metropolitis, Epiſcopis, ceteriſque clericis patria exituris *formatas* aut *communicatorias litteras* darent.

Ob quam auctoritatem etiam EXARCHI, vel ARCHIEPISCOPI *Diœceſeon* adpellabantur.

(*f*) *Primum* genus Primatum Provinciæ complectebatur Primates ævo, id eſt ſeniores in provincia & hac de cauſa Metropolitano proximos. *Alterum* Metropolitanos titulares, ſeu Epiſcopos illarum urbium, quæ ſalvis antiquæ Metropolis juribus & privilegiis ab Imperatoribus titulum civilis metropolis obtinuere. *Tertium* eos, qui nec ævo nec titulo Metropolitæ, ſed ex ſingulari quadam obſervantia & antiqua conſuetudine ceteris in eadem provincia Epiſcopis anteſtabant. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 123. uſque 128. & §. 138.

§. 192.

§. 192. Non minus Archiepiſcoporum nomen demum *per extenſionem* ad ſignificandum diſtinctum Hierarchiæ gradum uſurpari cœpit. Enimvero primum nonniſi Romano Pontifici, deinde Patriarchis, poſtea Primatibus Diœceſeon, & tandem ſeculo VIII. omnibus Metropolitis (*a*) promiſcue tributum eſt (*b*). Atque Metropoliticæ quidem poteſtatis originem, ſi non ipſo Apoſtolorum ævo, (*c*) certe ſeculo Chriſti ſecundo (*d*) jam ſatis cognitam, nec non jura Metropolitanorum in Eccleſia ſemper præeminentia fuiſſe (*e*) a quovis eruditorum probatum exiſtimatur (*f*).

(*a*) Metropolitæ olim ii proprie erant, qui Epiſcopatum tenebant in provincia Metropoli; dum autem Imperatores novas ſubinde Metropoles conſtituerunt, hæ non ſemper Eccleſiaſticam quoque Metropolitani dignitatem conſecutæ ſunt: veluti etiam id, quod in urbe aliqua forte Reges ſedem elegerint, nihil omnino ad Eccleſiaſticam rationem valuit: accidit contra, ut duabus provinciis in unam contractis antiquæ Eccleſiaſticæ Metropoles priſtinum ſuum ſtatum conſervarent. Nov. 28. c. 2. Nov. 31.

(*b*) Conf. Dupinius de antiq. Eccleſ. diſcipl. Diſſert. 1. §. 3. & Petrus de Marca in Diſſ. de Primatu §. 80. Et ſpeciale etiam hoc de Romano Pontifice notandum eſt, quod etiam tanquam Metropolitæ Provincia Romana peculiariter ſubjiciatur. Quam quidem Provinciam olim minime centeſimo ab urbe lapide conſtrictam, ſed ad decem *ſuburbicarias* provincias; nempe Tuſciam cum Umbria, Campaniam, Picenum ſuburbicarium, Siciliam, Apuliam cum Calabria, Brutiam cum Lucania, Samnium, Sardiniam, Corſicam, Valeriam, quas Vicarius urbis adminiſtrabat, dum reliquas ſeptem regebat Vicarius Italiæ, extenſam fuiſſe, facile demonſtratur contra Gothofredum & Salmaſium, qui regiones ſuburbanas, ſeu intra centeſimum ab urbe lapidem exiſtentes cum ſuburbicariis confundunt, quantumvis ipſi Picenum annumerent ſuburbicariis, quod tamen extra centeſimum eſt, & Salmaſius Umbriam ac Tuſciam annonariam, quæ maxima ſui parte intra centeſimum ſunt, non ſuburbicarias eſſe fateatur. Conf. Notitia Eccleſiæ Romanæ apud Baron. ad an. 1057. Holſtenius in Not. & Animadv. ad Geographiæ Sacræ L. II. n. IX. Sirmondi Propempticum Euchariſtico Salmaſii oppoſitum. Exercuiſſe autem Romanos Pontifices in Provinciis illis jura metropolitica patet ex Ep. Gregorii M. nempe Ep. 23. L. 5. indict. 14. Ep. 18. L. 8. indict. 3. Ep. 29. L. 2. indict. 10. Ep. 45. L. 2. indict. 11. Ep. 21. L. 5. indict. 14. Ep. 51. L. 1. indict. 9. Ep. 74. L. 9. indict. 4. Neque ulli alteri quam Romano Epiſcopo Metropoliticam prædriam competiiſſe oſtendi poteſt, imo legitur Epiſcopos reliquos Pontifici tanquam Metropolitæ ſubjectos propterea nominatos fuiſſe *Urbis* Romanorum Epiſcopos. Euſeb. Lib. 7. cap. 24. Theodoret. Lib. 2. cap. 8. Sequentibus quidem ſeculis Romani Pontifices ipſi in hac provincia plures metropoles erigendo ſuam Diœceſim contraxere. Conf. Reverendiſs. Abbas Rautenſtrauch. l. c. §. 230. uſque 238.

(*c*) Saltem Epiſt. ad Tit. C. I. v. 5. nos docet, eundem Titum in Inſula Creta collectæ Chriſti Eccleſiæ præfectum fuiſſe, ſeu quod idem eſt, eidem totius Inſulæ inſpectionem a Paulo eſſe commiſſam. Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. III. c. 4. Idem de Timotheo Chryſoſtomus ſcribit his verbis: *manifeſtum eſt, quod Timotheo credita fuerit Eccleſia, imo gens fere tota Aſiatica*. Conf. Van-Eſpen Jur. Eccl. Univerſ. P. I. Tit. XIX. c. 1.

(*d*) Conf. Binghamus orig. Eccleſ. lib. II. cap. 16.

(*e*) Etenim

1. Omnium ſuorum Epiſcoporum provincialium dirigebant electionem, eoſque vel ipſi vel per alios ordinabant. Quæ tamen poteſtas plurimis ſynodi provincialis ſuffragiis erat adſtricta. Conf. Concil. Nicæn. c. 4. & 6.

2. Decidebant non tantum controverſias inter ipſos ſibi ſubjectos Epiſcopos ortas, ſed etiam cauſas eorum, qui ab Epiſcopis gravati, juxta canones receptos, & normam ab Imperatoribus præſcriptam adpellabant. Ejuſmodi normam a Juſtiniano præſcriptam exhibet Lib. 92. C. de Epiſc. Conf. Van-Eſpen. loco cit. C. III.

3. Convocabant ſynodos provinciales, in iiſque præſidebant; decrevit nimirum jam concil. Nicænum c. 5. ut binæ ſingulis annis ſynodi celebrentur. Adde concil. Antioch. C. 20. Can. Apoſt. 36. Atque ſi quis Epiſcoporum abſque gravi cauſa in ejuſmodi ſynodis non comparuit, interdicti muneris, aut alia Canonica pœna pro arbitrio Metropolitani & Synodi adficiebatur.

4. Promulgabant tam ſtatuta conciliorum, quam leges ab Imperatoribus ad commune Eccleſiarum bonum conditas.

5. Quamquam unicuique Epiſcopo integra relinquere debuerint & primæ inſtantiæ negotia & officia, juraque iiſdem propria, eatenus tamen ad ipſos totius provinciæ pertinebat cura, quatenus eam viſitandi, emendandique abuſus obligatione tenebantur. Concil. Antiochc. 9.

6. Nulli clericorum ſine venia a Metropolitano impetrata peregre e Provincia ire licuit, concil. Carthag. III. c. 28. & Gregorii M. Ep. VIII. L. VII.

7. Vacantibus providebant Eccleſiis hac ratione

tione, ut uſque ad novi Antiſtitis electionem negotia dirigerent; reditus collocarent in tuto; & ad ipſam Electionem clerum & populum per eoſdem, qui interim ad Eccleſiam vacantem adminiſtrandam mittebantur, & *interceſſores* ſeu *Interventores* audiebant, diſponerent, & denique ſicuti hæc cuncta non adgrediebantur ſine Principum ſcientia atque venia, ita obtutu electi *Placetum Regium* peterent, atque præſtolarentur. Cauſas, ex quibus jura Metropolitarum deminuta ſunt, jam ſupra cap. 5. expoſuimus.

(*f*) Quidam Archiepiſcoporum dicebantur Αὐτοκέφαλοι, quia nulli Patriarchæ obnoxii fuerunt, ſed & Epiſcopos illos, qui quidem Patriarchæ, ſed nulli ſubjiciebantur Arciepiſcopo, ita compellatos eſſe novimus; conf. cl. de Riegger l. c. §. 129. uſque 137. & 139.

CAPUT VII.

De Præcipuis Juribus & Obligationibus Epiſcoporum.

193. Quod Epiſcopos concernit, cuncti, de quibus hactenus diximus; Hierarchæ neque in veteri obſtabant Eccleſia, neque adhucdum obſtare queunt, quo minus illi ſuarum Diœceſium ſint primarii Paſtores, & iis, quæ ad regendam ſibi commiſſam Eccleſiam ſunt neceſſaria, mediis omnibus ſeu plenaria ſuam Eccleſiam gubernandi gaudeant poteſtate (*a*).

(*a*) Reflecte identidem ad id, quod non demonſtravi tantum, ſed & ſtudioſe jam aliquoties inculcavi, videlicet: quod primam atque eſſentialem Religionis partem, ſeu Doctrinæ Chriſtianæ integritatem & conſervationem omnes omnino Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Epiſcopos æqualem immediate a Deo obtinuiſſe poteſtatem, & quidem poteſtatem ejuſmodi; quæ juxta illud *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: non poteſt non eſſe plenaria. Recogita Cypriani ad hanc plenitudinem ſpectantia verba illa: *habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & Poteſtatis ſuæ arbitrium proprium*. Adde effatum Bonifacii VIII. in c. 7. de officio Jud. Ord. in 6. *quod Epiſcopus in tota ſua Diœceſi juriſdictionem ordinariam noſcatur habere*. Adde Can. IX. Antiochenum, qui ita ſonat, *unumquemque Epiſcopum oportet habere ſuæ Diœceſis poteſtatem, & adminiſtrare pro unicuique conveniente Religione & totius Regionis curam agere, quæ ſuæ urbi ſubeſt*. Perlege demum cap. 9. & 11. de offi. Jud. Ord. nec non Seſſ. XXIV. c. 20. de reform. Quibus conſideratis profecto non aſſeres, C. Van-Eſpen quid novi docuiſſe: dum ait: *Licet Metropolitanus ſeu Archiepiſcopus aliquam in ſuffraganeos juriſdictionem & ſuperioritatem habeat, nullam tamen immediatam in ſubditos ſuffraganeorum, ejuſque Diœceſim habere expeditum eſt. Hinc communiter tradunt canoniſtæ, quod Metropolitanus quidem ſit judex totius Provinciæ tanquam habens juriſdictionem Archiepiſcopalem, non tamen tanquam habens juriſdictionem Epiſcopalem, ſeu ordinariam in totam provinciam, ſeu ſingulas ejus Diœceſes. Juriſdictio Archiepiſcopalis tantummodo ſe extendit ad ipſos ſuffraganeos Epiſcopos, nequaquam autem in eorum ſubditos, niſi mediate, quatenus nimirum ſuffraganeorum negligentia ſive defectus eſſet ſupplendus, aut eorum procedendi modus corrigendus*. P. I. tit. XIX. C. V. & porro *Epiſcopi ipſi, licet præcipuum in ordine Hierarchico locum obtinentes, etiam Diœceſim ſuam regunt cum quadam ad Epiſcopum Romanum, & ſuos reſpective Metropolitas Hierarchica ſubordinatione, ſed num ideo ſeſe Vicarios amovibiles credent, qui ad nutum & arbitrium functiones Epiſcopales exercent? an jura ſua Epiſcopalia ab eis propterea invadi ſinent? an ideo exiſtimabunt ſeſe ad libitum Romani Pontificis poſſe deponi, excommunicari, interdici, vel ſuſpendi ullatenus? Nequaquam profecto. Non enim arbitrio Romani Pontificis aut ſuorum reſpective Metropolitanorum ſubjacent, ſed* CANONIBUS, *ſed* LEGIBUS, *atque ex eis debent judicari & tractari*. Tract. de recurſu ad Princip. C. II. §. 10. Atque hinc illud: *Papa omnia poteſt in toto mundo, quæ quiſque Epiſcopus in ſua Diœceſi*, non obtinere poteſt, niſi eo in ſenſu, quo ſummo Pontifici pro caſu neceſſitatis jus ſupplendi Obligationes Epiſcoporum ſupra admiſimus (§. 177.)

§. 194. Atque hinc I. Juriſdictonem ſpiritualem in omnes fideles cujuſcumque dignitatis ac ordinis intra ſuam Diœceſim conſtitutos, quantum ad regendam ſuam Eccleſiam neceſſe habent, exercebunt liberrime, nullaque tunc humana exemptio

tam

tam fortis erit , ut Authoritatem Epiſcopi in juribus immediate a Deo non tantum conceſſis , ſed etiam injunctis remoretur (*a*).

(*a*) Juxta illud CYPRIANI: *Eccleſia eſt plebs ſacerdoti unita & Paſtori ſuo grex adhærens: unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo. Et hos , qui cum Epiſcopo non ſunt , in Eccleſia non eſſe. Exemptio* ſane: id eſt *libertas illimitata a juriſdictione ordinarii cum immediata ſubjectione ſedi Apoſtolicæ* & primis Eccleſiæ ſeculis quid inauditum erat , & nunquam non tanquam quid Epiſcoporum juribus, diſciplinæ conſervationi , ac Eccleſiarum ſaluti adverſum exiſtimabatur. Enimvero

1. Ejuſdem veſtigium, quod genuinum eſſet, non ullum, quod ad Monachos attinet, ſec. XI. quoad capitula alioſque , ſeculo XII. vetuſtius deprehenditur, ſed potius

2. In Concil. Chalced. can. 5. legimus *Monachos per unamquamque regionem , & civitatem Epiſcopo ſubjectos eſſe* , & can. 8. *qui nec proprio ſubjiciuntur Epiſcopo , ſiquidem clerici ſunt , Canonum correptionibus ſubjaceant, ſi vero laici & Monachi fuerint, communione priventur*. Conſentit Concil. Aurel. I. c.19. Agath. can. 38. L. 40. C. de Ep. & Nov. V. c. 9.

3. Sat clarum hac in parte eſt oraculum BERNARDI ita loquentis : *miror quoſdam in noſtro ordine , monaſteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili, quod pejus eſt, habitu & tonſura tam ſuperbe ſapere , ut quum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos ſuos prætergredi patiantur , ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis . Spoliant Eccleſias , ut emancipentur. Redimunt ſe , ne obediant. Non ita Chriſtus. Ille ſiquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua illi careant , totum fere ſuum ſuorumque victum expendunt. Quid hoc eſt præſumtionis, O Monachi! neque enim , quia Prælati Monachis, ideo non Monachi.* Tract. de Morib. & offic. Epiſc. c. 9. Idem S. P. ad Eugenium P. L. III. c. 4. de Conſid. ita ſcribit: *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius : nullus eſt enim , niſi quod Monachi etiam diſſolutiores fiant —— Non eſt arbor bona faciens fructus tales —— quodque magis dolendum, inter Eccleſias inimicitias graves perpetuaſque diſcordias —— Tunc tibi licitum cenſeas, ſuis Eccleſias mutilare membris , confundere ordinem , perturbare terminos, quos poſuerunt Patres tui? ſi Juſtitia eſt ejus cuique ſervare ſuum ; auferre cuiquam ſua juſto quomodo poterit convenire ?* Atque eadem ſenſa fuiſſe S. Franciſco teſtatur Eminentiſſimus Baronius ad an. 676. n. 5. ita ſcribens : *ut Monachi ab Epiſcopali obedientia hujuſmodi privilegiis ſe ſubtraherent , nec gratum fuit* S. FRANCISCO , *ſed fratris Eliæ hominis non divino ſpiritu , ſed carnis prudentia nitentis opus fuit.* Conf. ex ipſa S. Franciſci familia P. Alvarus Pelagius L. II. de planctu Eccleſiæ c. 66. juxta Petri Bleſenſis Epiſtolam 68. nomine Richardi Archiepiſcopi Cantuarienſis ad Alexandrum III. ſcriptam: *multæ domus, quæ nominatiſſimæ ſunt in ſanctitate & religione , has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuo rejecerunt*. Complures querelas S. Bernardi , Ivonis Carnotenſis , Goffridi Vindocinenſis, Joannis Saresberienſis , Petri Bleſenſis , Arnulphi Lexovienſis, Durandi Mimatenſis aliorumque vide apud Launojum Tom. III. Part. 2. a pag. 495. uſque 532.

4. In duobus quidem conciliis Lateranenſibus ſub Alexandro III. & Innocentio III. & poſtea in Concilio Viennenſi initio ſeculi XIV. de revocandis exemptionibus , reſtituendoque Epiſcopis vetere in religioſas familias jure actum fuerat, Conf. Raynaldus in App. ad an. 1312. n. 24. Claudius Fleurii Hiſt. Eccleſ. Tom. XIX. L. 91. n. 53. Sed adeo incaſſum, ut

5. Conventus Prælatorum a Paulo III. congregatus ad colligendos abuſus in Synodo dein reformandos ita conqueſtus ſit , *alius abuſus magnus & minime tolerandus , quo univerſus populus Chriſtianus ſcandalizatur , eſt* EX IMPEDIMENTIS , QUÆ INFERUNTUR EPISCOPIS IN GUBERNATIONE SUARUM OVIUM , MAXIME IN PUNIENDIS SCELESTIS ET CORRIGENDIS. *Nam primo multis viis eximunt ſe mali homines præſertim clerici a juriſdictione ſui ordinarii. Deinde ſi ſunt exempti , confugiunt ſtatim ad Pœnitentiariam vel ad Datariam, ubi confeſtim inveniunt viam impunitati , & quod pejus eſt , ob præſtitam pecuniam —— Tollantur hæ maculæ* , QUIBUS SI DARETUR QUISPIAM ADITUS IN QUACUMQUE HOMINUM REPUBLICA, AUT REGNO, CONFESTIM AUT PAULO POST IN PRÆCEPS RUERET, NULLOQUE PACTO DIUTIUS CONSTARE POSSET , ET TAMEN PUTAMUS NOBIS LICERE , UT PER NOS IN CHRISTIANAM REMPUBLICAM INDUCANTUR HÆC MONSTRA. Verum nec perfecit Paulus III. quod non perfecere Calixtus III. & Paulus II. Concepit nimirum quidem ille literas pro mendicantibus ad jus commune reducendis , eaſque hic promulgare meditabatur; illico autem formula provocationis ad Concilium Generale edita eſt . Conf. Raynald. ad an. 1471. n. 69. Et Ep. Roterodami ſcriptam 1. Nov. an. 1519. ad Albertum Brandeburgicum Cardinalem Archiepiſc. Moguntinum L. XII. Ep. 10. Edit. Baſileenſ. de an. 1540.

6. Etiam

6. Etiam Germaniæ Epiſcopi & Principes ſua vota ſynodo Tridentinæ obtulerunt his verbis : *revocandas omnes exemptiones contra jura communia paſſim conceſſas , monaſteriaque omnia ſub Epiſcopi poteſtate conſtituenda , ſub cujus ſunt Diœceſi.* Conf. in gravam. centum anni 1523. art. VIII. Quæ omnia ſaltem id effecerunt, ut tandem

7. Per ſynodum Tridentinam Seſſ. VI. c. 3. de Reform. VII. c. 14. de Reform. XIV. c. 4. de Reform. XXIII. c. 15. de Reform. XXIV. c. 11. de Reform. XXV. c. 4. 12. & 14. de Regular. & c. 6. de Reform. exemptiones licet non ſublatæ, tamen circumſcriptæ fuerint. De quo ita ſcribit Cl. Barthel. *cum per exceſſivas iſtas exemptiones nimium reſtringeretur Authoritas Epiſcoporum , vitia ob remotionem locorum , quibus Pontifex non poterat inſpicere , impunita manerent , voluerunt Epiſcopi iſtas exemptiones omnino tolli & abrogari. Intererant autem etiam Abbates & Generales Ordinum , qui ſuis inſtiterunt privilegiis , utpote quæ non gratuita , ſed remuneratoria affirmabant , ob inſignia in Eccleſiam merita. Quia tamen ipſi agnoverunt Eccleſiæ diſciplinam ſic non poſſe ob ſecularium exemptiones ſubſiſtere , in pluribus caſibus delegata eſt ipſo jure Epiſcopis juriſdictio , & ſic via media eſt complanata , ita ut non titulo ordinario , ſed tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati illam poſſint exercere . Quia tamen hæc juriſdictio non eſt attributoria novæ poteſtatis, ſed* EXERCITORIA *reſtrictæ &* SOPITÆ *juriſdictionis , hinc ſecus ac aliæ delegationes eſt* LATISSIMÆ INTERPRETATIONIS —— *In Gallia Epiſcopi non attendunt formulas delegationis , & nominetenus tantum ſunt delegati , reipſa jure ordinario exercent juriſdictionem ; ab ipſis enim non ad Pontificem , ſed ad Archiepiſcopum fit appellatio* &c. in annot. ad Jur. Can. L. 1. Tit. 29. pag. 105. Conf. quoque Launojus opp. Tom. III. P. I. p. 157. Part. II. p. 436. Gibert Corp. Jur. Can. Tom. I. p. 190. ſequ. ubi pluribus deducitur , quomodo non juribus Epiſcoporum in luce collocatis , quod a Concilio Tridentino inchoatum eſt, perfici, ac omnis exemtio abrogari deberet . Ceterum executionem quarumvis rerum etiam juſtiſſimarum libenter politicæ relinquimus ; differentes tantum de jure non patiendi exemptiones , quod tam cuivis Epiſcopo vi ſuæ poteſtatis ſcilicet a Deo immediate & æqualiter omnibus Epiſcopis conceſſæ , quam cuivis ſummo Principi ceu diſciplinæ & Canonum vindici , ſi etiam civilia motiva taceamus , quam certiſſime competit. Reflectatur cumprimis ad ea , quæ ſuperius §. 110. expoſui ; & quæ concludebam ſub finem Tom. II. pag. 168. & ſequ. atque inde iterum, iterumque reſpondeatur illis, qui propterea , quod poteſtas Eccleſiæ etiam ad immutandam diſciplinam ſeſe extendit : hoc ad Principis authoritatem ſaltem abſque conſenſu Eccleſiæ non pertinere exiſtimant.

§. 195. Hinc habent II. Jus inſtituendi perſonas ; quibus ſui ſacri miniſterii partem tuto committere poſſint (*a*) ac III. Jus ſuas viſitandi Diœceſes , ut , quæ ad conſervandam fidei morum ac cultus divini integritatem ſtatuenda , ordinandaque veniunt , ipſi experiantur.

(*a*) Huic ipſi juri originario per mandata, expectativas & reſervationes Pontificias vulnus omnino grave illatum; de quo jam ſupra §. 180. not. c. dicebamus. In veteri ſane Eccleſia Beneficiorum & Sacrorum Ordinum collatio adeo conjuncta fuerat , ut ordinaretur nullus , niſi beneficium , ad quod ordinari poterat , adeſſet. Atque hinc collatio omnium beneficiorum quandocumque & quomodocumque vacantium non minus ac ordinatio ad Epiſcopos pertinebat , quorum ſcilicet erat *attendere univerſo gregi , in quo eos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Tum igitur nondum tranſactiones , aut concordata de quibuſdam Primati cedendis juribus Epiſcoporum originariis noſcebantur. Confer etiam Cardin. de Luca , Tom. I. in Summ. Benefic. §. 2. n. 6. Van-Eſpen J. E. U. P. II. S. I. T. IX. c. 2. & S. III. Tit. 4. c. 33. & Tit. 6. c. 1. Thomaſſin. P. 2. L. 1. c. 33.

(*b*) Præclare ait Van-Eſpen: *Animarum curatio rite peragi nequit , ſi morbi neſciantur . Hi vero ſciri nequeunt , niſi medici ægros viſitent , in morbos inquirant , & ſtudioſe examinent. Quapropter nihil adeo a Patribus & ſacris Canonibus Epiſcopis inculcatum fuit , quam continua Diœceſium perluſtratio & viſitatio ; præcipuaque ſanctorum Epiſcoporum occupatio fuit , Diœceſium continua circuitio & perluſtratio.* J. E. U. P. I. Tit. XVIII. cap. 1. ubi & provocat ad Cauſ. X. q. 1. Can. Synodi Tarraconenſis III. Can. 8. Tridentinæ Seſſ. VI. c. 3. VII. cap. 7. & 8. XIV. c. 4. XXI. c. 8. & 9. Seſſ. XXIV. c. 3. de Reformat. &c. rectiſſimeque poſt Cardinalem de Luca diſc. 5. ad Concil. Trident. monet , illud Tridentini Decretum, ut Epiſcopi Diœceſium viſitationes ſingulis annis, aut ſi Diœceſis lata nimium , ſaltem biennio per ſe vel viſitatores peragant, non ita eſſe accipiendum , ut Epiſcopus Diœceſim ſuam non ſæpius , ſi poſſibile eſt , intra annum viſitet, *dummodo tamen ad bonum finem , bonoque zelo id agatur ,*

non

non autem ut id ſerviat ad ſolum prætextum exigendi a capitulis, & Clericis, aliiſque ſubditis procurationes, ac munera & victualia, ſub quorum prætextu magnæ fieri ſolent extorſiones. Profecto illa victualia, quæ Concilium Trident. Seſſ. XXV. cap. 1. de Reform. Epiſcopis viſitantibus *moderate* ac *frugaliter & tantum pro temporis neceſſitate* adjudicat, monente eodem Van-Eſpen omnem luxum conviviorum & epularum abundantiam excludunt. Neque etiam ſalva mente Concilii, ejuſdem verbis ſat declarata, Epiſcopus eadem die duas parochias viſitans *duplicem procurationem*; aut *ullam* quoque *procurationem* exigere poterit, ſi viſitet Eccleſias civitatis Cathedralis, ubi ſcilicet *neceſſitas* non eſt victum alibi quam domi ſuæ ſumendi, uti docet Fagnan. ad cap. Venerabili, de cenſibus n. 15. Et an non pariter contra ſtatutum Concilii ejuſque mentem eſſet, eo curruum & equorum apparatu, eo comitatu hominum ad viſitandas parochias venire, qui parochias non gravare non poſſet? Quomodo ceterum viſitantes procedere debeant, jam continet cap. 1. de cenſ. in 6. & Concil. Trident. Seſſ. XXIV. cap. 10. de Ref. Quæ loca expendens Van-Eſpen officium viſitatorum comparat cum officio ædilium Romanorum, quod magis in luſtrando & exequendo, quam in judiciario proceſſu conſiſtebat, adeo, *ut ſi quid obvium eſſet, quod politiam notorie offenderet, ædiles e medio tolli, frangi, emendari juberent, magis facti quam juris tramitem ſervantes*; atque hinc etiam *ab Epiſcopis, ſi quid inordinatum repererint, id ſummarie, ſine ſtrepitu ac forma ordinaria judicii reformandum*, non tam pœnas, quam *correctiones imponendas, & dilatis illis, quæ altioris ſunt indaginis, circa notoria potiſſimum ſtatuendum eſſe* ſenſit cum Zipæo in Jure novo, Tit. de accuſ. num. 9. Quare inſtitutis viſitationibus nulla exemptio, nulla conſuetudo contraria opponi poterit. Peculiaria, quæ circa viſitationes conſtituta ſunt, in Tomo IV. inter ea, quæ ad Politiam Eccleſiæ noſtræ pertinent, videbimus. Quid Principi hac in parte Juris ſit, jam vidimus ſupra. (§. 111. T. II.) pag. 103.

§. 196. Hinc Epiſcopis quoque eſt poteſtas IV. Diæceſanas celebrandi ſynodos (*a*) V. in negotiis ad diſciplinam pertinentibus ſtatuta condendi (*b*) VI. non modo in ſynodorum particularium, ſed etiam Conciliorum generalium decretis exigente id Eccleſiæ neceſſitate ac utilitate diſpenſandi (*c*) ac generatim VII. Eccleſiaſticas ſuæ Diæceſeos definiendi cauſas (*d*) nec non VIII. in facinoroſos per cenſuras animadvertendi (*e*).

(*a*) Præcipuum errores reprimendi, necnon diſciplinam corrigendi medium in ſynodis poſitum eſſe non ſum denuo demonſtraturus. Habitos quoque fuiſſe priſtinis ſeculis frequentiſſimos Epiſcoporum cum ſuo clero conventus, nullus in Eccleſiæ Hiſtoria vel modicum verſatus ignorat. Neque ſunt qui Epiſcopis jus convocandi ſynodos Diœceſanas, in iiſque præſidendi denegant; auctoritatem tantummodo ejuſmodi ſynodorum non tantam eſſe ajunt, ut abſque Rom. Pontificis conſenſu Canones novos condere, atque aliquid conſtituere, vel definire queant. Nos, qui monarchicum & abſolutum Eccleſiæ Regimen Pontifici non competere, & cunctos Epiſcopos plenaria & æquali poteſtate immediate a Deo præditos eſſe certiſſimis argumentis edocti ſumus, iiſdem potius inhæremus argumentis, quam *Gratiani* Diſt. XVIII. ubi inquit: *Epiſcoporum Concilia*, UT EX PRÆMISSIS ADPARET, *ſunt invalida ad definiendum & conſtituendum, non autem ad corrigendum*. Abſque dubio quidem ex iis canonibus, quos Gratianus XVII. Diſt. præmiſit, adparet, *non eſſe ratum concilium, quod auctoritate Romanæ Eccleſiæ fultum non fuerit — provincialia Concilia ſine Romani Pontificis præſentia pondere carere*. Quarum tenaciſſimus cum eſſet Gratianus, & tamen Concilia provincialia ſine omni Pontificis præſentia vel auctoritate fuiſſe habita negare non poſſet, illam inter *conſtituendum ac corrigendum* limitationem excogitabat. Eadem principia ſpuria etiam Concilii Tridentini interpretes ſeduxere, ut ann. 1574. declararent: *Decreta, quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, publicari non debent inconſulto Romano Pontifice*. Qua ſane declaratione ipſi Concilio Tridentino nullam reviſionis, aut confirmationis Pontificiæ mentionem facienti manifeſtam vim illatam eſſe docuerunt Petrus de Marca L. VI. C. 14. §. 13. & Van-Eſpen in ſuppl. ad P. I. Jur. Eccl. Tit. XX. c. 3. §. 3. Conf. quoque Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag. 198. ſeq. edit. Pariſ. ac dein etiam Benedict. XIV. eleg. opus de ſynodo Diœceſana.

(*b*) *Si quis*, ait Gregorius, *venerit contra Decretum Epiſcopi, ab Eccleſia abjiciatur*. C. 2. de major. & obed. Atque ipſe Gratianus diſt. IX. c. 8. ſcribit: *privatis conſtitutionibus & propriis informationibus unaquæque Eccleſia pro locorum varietate, prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit & regitur*. Is profecto, qui a Spiritu ſancto poſitus eſt regere Eccleſiam Dei, legem ſeu regulam actio-

aum

num moralium loco tempori aliiſque adjunctis conſormatam ſuis ſubditis dare poterit. Ipſa igitur Romanæ Eccleſiæ conſuetudo hac in parte tanquam neceſſaria omnium Eccleſiarum norma Epiſcopis non eſt attendenda. Habemus enim præter citatos nunc Canones & evidentiſſima noſtra præmiſſa principia, etiam hoc Leonis IX. effatum: *Non obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ poteſt, uni Deo commendat omne. Epiſt. ad Michaelem.*

(*c*) Jus hac ratione diſpenſandi, quod quidem jam ſupra demonſtravi, (§. 149. 182.) il i plenariæ poteſtati, quam quiſque Epiſcopus pro neceſſitate & utilitate ſuæ Eccleſiæ qua ejuſdem Rector immediare a Deo accepit, non ineſſe non poteſt. Neque enim Epiſcopos cum aliis ſubditis, qui in lege ſuperioris diſpenſare nequeunt, comparare licet; nimirum obſiſtente ſemper axiomate illo, vi cuius & ipſi a Spiritu ſancto poſiti regere Eccleſiam Dei. Præterquam, quod ſecus neque Pontifex, quia Concilio inferior, in conciliorum Generalium Decretis diſpenſare poſſet. Id igitur ex juſta cauſa dum poteſt Pontifex, qui tantummodo unitatis conſervandæ cauſa Primatum in eadem poteſtate obtinuit; dum Can. 29. de ſent. Excomm. ab omnibus peccatis & cenſuris, niſi quæ ſunt ſpecialiter reſervatæ, abſolvendi licentia Epiſcopis propria eſſe agnoſcitur; dum denique in neceſſitatis atque magnæ utilitatis caſu omnis humana reſervatio illi, quæ Epiſcopos univerſo gregi attentos eſſe jubet, divinæ legi cedere omnino debet; non tantum ab ea, quam ſupra jam inſinuavimus cl. Barthelii regula non dimovemur, ſcilicet, *Epiſcopos hanc poteſtatem, niſi ipſis ſpecialiter ſit ademta, in regula habere*, ſed etiam cum cl. Van-Eſpen generaliter edicimus, *reſervationes Pontificis in diſpenſando ceſſare, atque Epiſcopis liberam eſſe diſpenſandi auctoritatem, ſi ſalus animarum, ſeu Charitas, aut neceſſitas proximi id requirat.* Quam regulam, quod bene advertas, cl. auctor Jur. Eccl. Univ. P. II. ſect. I. tit. XIV. §. 17. ſubjunxit, dum prius ibidem §. 13. ait: *Quibus vero diſpenſandi auctoritas ſuper impedimentis matrimonii competat, nec in canonibus, imo nec in Decret. Gregorii IX. determinatur; neque legitur aliquo Decreto generali auctoritas hæc Epiſcopis ademta & Pontifici reſervata:* AT CONSUETUDINE TANDEM INVALUIT, ET MODERNA HABET DISCIPLINA, *ut ſi agatur de impedimentis dirimentibus & de matrimonio cum tali impedimento contrahendo, ſoli Pontifici diſpenſatio competat, niſi Epiſcopi oſtendant, ſpeciali conſuetudine aut privilegio diſpenſandi auctoritatem ſibi competere*; ut adeo etiam contra has in impedimentis matrimonii reſervationes humanas & tantum conſuetudinarias ſalus animarum, Charitas & neceſſitas proximi, ſeu caſus neceſſitatis & magnæ utilitatis Eccleſiæ prævaleat. Sed quod adtinet ad jus diſpenſandi Epiſcopis generatim in cauſis Eccleſiaſticis competens, addamus porro pro Coronide ex Cl. Van-Eſpen Diſs. can. de diſp. c. 1. §. 7. hunc locum. *Epiſcoporum in diſpenſando libertas & inde non parum confirmatur, quod conſtet, penes Epiſcopos plurimis ſeculis fuiſſe diſpenſandi facultatem in omnibus illis diſciplinæ Eccleſiaſticæ articulis, quorum hodie relaxatio privative ſedi Apoſtolicæ competere noſcitur. Quis vel parum in hiſtoria actiſque Patrum verſatus ignorat, Epiſcopos in bigamia, defectu natalium, aliiſque irregularitatibus diſpenſaſſe? Quin & translationes & ceſſiones Epiſcoporum (quæ omni ætate inter graviſſima Eccleſiaſticæ diſciplinæ puncta repoſita fuerant) plurimis ſeculis ſynodali auctoritate factas non tantum exempla, ſed & canones loquuntur.* Sed & Conf. Card. *Cuſa* L. 2. de concord. Cathol. c. 13. & 20. *Gibert.* Tract. de Eccl. Tit. de Prælatis, qui adpoſite notat Epiſcopis facultatem diſpenſandi in impedimentis matrimonii nec minimum in Concilio Trident. limitari. *Gerſon* Tract. de poteſt. Eccleſ. Conſid. 10. *Gerbais* de cauſis maj. Petrum *de Marca* L. V. de Concord. c. 3. 4. 8. & 9. Thomaſſin. diſc. Eccl. P. II. L. 2. *Tractatus de Epiſcoporum poteſtate, Antonii Pereira Congreg. Oratorii Presbyteri Liſbonæ, Portugallenſi idiomate, inde Germanico Francof. & Lipſ. 1763., editus.*

(*d*) Adeſt quidem ſummus Pontifex unitatis in tota Eccleſia conſervandæ cauſa. Verum inde non ſequitur, Epiſcopos non tantum poſſe, ut aut malo jam ingruenti, aut ne naſcatur, auctoritatem ſuam objiciant. Enim vero *copioſum* eſt ait S. Cyprianus *corpus Sacerdotum concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi quis ex collegio noſtro hæreſim facere & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri.* Epiſt. 13. L. III. Huic officio ſi deſint Epiſcopi, aut ſi ſola eorundem auctoritas non ſufficit, tum profecto quam maxime verum eſt, *manere Petri privilegium, ubicumque ipſius fertur æquitate judicium.* c. 5. Cauſ. XXIV. q. 1. Profecto ex iiſdem, quæ jam attuli, teſtimoniis ſimul demonſtratum eſt, in veteri Eccleſia ab Epiſcopis; aut ſolis, aut in ſynodis provincialibus cauſas pene omnes eſſe deciſas. Atque vidimus eiuſmodi deciſiones tanti fuiſſe ponderis, ut S. Cyprianus Epiſt. 59. ad Cornelium P. ſcripſerit: Fortunatum & Feliciſſimum in ſynodo provinciali condemnatos reſtitutionem a Pontifice non ſperare poſſe, ut Concilium Lemovicenſe an. 1034. in ſeſs. 2.

omnes

omnes abſolutiones, quæ ſine conſenſu Epiſcoporum a Pontifice peterentur, illicitas declaraverit. Conf. in actis Concilii Chalcedonenſis act. 3. ubi Leonis Papæ legati ad Concilium referunt: *Eutychen regulariter a proprio damnatum Epiſcopo Flaviano*. Confer Concilia: *Moguntinum* an. 848. errores Gotteſchalci Monachi: *Turonenſe* an. 1055. hæreſim Berengarii; *Senonenſe* an. 1140. novitates Abaelardi damnantia. Vide apud Gratianum diſt. 30. Cauſ. XXXII. q. 7. c. 5. diſt. II. cap. 9. de conſecr. diſt. IV. de conſecr. a Canone 152. uſque ad finem & quidem Can. 109. ubi Concilium Arelatenſe deciſam a Papa Stephano Quæſtionem de Baptiſmo, ſuo examini ſubjecit. Mera exempla deciſionum ab Epiſcopis & ſynodis particularibus in cauſa fidei editarum. At vero circa ſeculum X. ſcribit Cl. Van-Eſpen P. IV. Tit. IV. de delictis Eccleſiaſticis C. II. FALSIS DECRETALIBUS *ſub nomine Primorum Pontificum in auctoritatem receptis, ac ſignanter poſt editum & receptum* DECRETUM GRATIANI, *prætendi & doceri cœpit a quibuſdam canoniſtis, præcipue Ultramontanis*, MAJORES ET GRAVIORES CAUSAS *ad ſedem Apoſtolicam eſſe referendas, ejuſque ſolius judicio terminandas*. Eodem hoc loco, qui omnino legi meretur, exhibet Cl. Auctor, quam cordate *Petrus Alliacenſis* facultatis Pariſ. Doctor, poſtmodum ob eximiam ſuam eruditionem & ſingularia merita Epiſcopus Cameracenſis, ac tandem S. R. E. Cardinalis Clementi VII. Romano Pontifici commonſtraverit, Propoſitiones Joannis de Monteſono (in quantum aſſerit ad ſolum Rom. Pontificem pertinere eorum, quæ tangunt fidem, examinationem & deciſionem) *continere manifeſtam hæreſim, imo multas hæreſes, quia per hanc aſſertionem excluduntur Epiſcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione, & deciſione eorum, quæ ſunt fidei, quod eſt contra jus tam divinum, quam humanum*, porro quam multis argumentis Joannes *Gerſonius* ejuſdem univerſitatis Doctor probaverit, *Epiſcopis vi ſui Regiminis paſtoralis eſſe jus examinandi doctrinam, & de ea judicialiter ſive auctoritative pronunciandi, utrum catholica ſit vel erronea aut hæretica, idque de jure divino*. Quibus dum præmittit: *Legimus ab initio Eccleſiæ Epiſcopos in naſcentes errores hæreſeſque ſollicite inquiſiviſſe, ſuaque auctoritate mox, ut eas detexerant, ſuis Decretis confixiſſe* &c. & poſt plura ſubjungit: *Hanc auctoritatem Epiſcoporum in examinandis & decidendis dogmatibus fidei conſtantiſſime uſque in hodiernum diem Eccleſia Gallicana ipſaque Univerſitas Pariſienſis tanquam Epiſcopatui ex ipſa inſtitutione divina annexum retinuit, ipſoſque Epiſcopos eſſe naturales Judices & interpretes dogmatum fidei non minus ac ipſum Romanum Pontificem ſuſtinuit, una tamen recognoſcens in Romano Pontifice primatum juriſdictionis una cum prærogativa ſuffragii in decidendis quæſtionibus fidei*. Quomodo non concludemus Epiſcopis a Spiritu ſancto regere poſitis multo magis in rebus ad Eccleſiaſticam ſuæ Diœceſeos diſciplinam pertinentibus judicia competere, quin propterea, ſi Epiſcopi non ſufficerent, aut ſi horum eorumdem negligentiam non Metropolitæ, poſt hos non Primates, aut Patriarchæ ſupplerent; eorum, quæ ad unitatem conſervandam Pontifices ferre deberent, Decretorum prærogativam & valorem ad futurum uſque concilium aut exploratum totius Eccleſiæ conſenſum temere abnegemus. Singulis, quos priori not. laudavi, celeberrimi auctores in materia hac de plura docebunt.

(*e*) Jus animadvertendi per cenſuras non minus ex illa plenaria Eccleſiam regendi poteſtate, quæ Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis obtigit, tanquam neceſſarium corollarium liquidiſſime profluit. Equidem jam ſupra §. 130. & ſequ. ſacri Imperii partes, inter quas & jus coercendi comprehenditur, ex natura ipſius imperii & exemplo Pauli Apoſtoli I. ad Cor. C. V. v. 3. dilucidavit. Et reflecte cumprimis ad paulo ante repertum exemplum Concilii Lemovicenſis. Sed erit porro infra de cenſuris dicendi locus. Id obtutu hujus juris, quatenus Epiſcopis competere agnoſci debet, hic notaſſe ſufficit: Synodum Tridentinam Seſſ. 25. cap. 12. de Regularibus ita ſtatuiſſe; *Cenſuræ & interdicta nedum a ſede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab ordinariis promulgata mandante Epiſcopo a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur atque ſerventur*. Ne nimirum prætextu exemptionis a juriſdictione Epiſcoporum, Cenſuræ Epiſcopales a Regularibus contemnerentur, atque ita earum vileſceret auctoritas. Conf. Cl. Van-Eſpen P. III. Tit. XI. de pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis §. 23. Conf. quoque Petrus de Marca L. IV. cap. 7. n. 6.

§. 197. Hinc denique IX. Epiſcopi quaſvis Hierarchicas functiones in ſua Diœceſi pro ejuſdem utilitate ac neceſſitate exequi (*a*) atque igitur non tantum pro caſu ſummæ neceſſitatis, ubi aliunde omnis reſervatio ceſſat, ſed etiam generatim ex cauſa majoris utilitatis ac boni in priſtina ſua jura redire queunt (*b*).

(*a*) *Cum tota Eccleſia ſit unum corpus*, ait D. Thomus, *oportet* SI ISTA UNITAS DEBET CONSERVARI, *quod ſit aliqua poteſtas regitiva reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſta-*

tem Epiſcopalem, qua unaquæque ſpecialis Eccleſia regitur. Et hæc eſt poteſtas Papæ, & ideo illi, qui hanc poteſtatem negant, ſchiſmatici dicuntur, quaſi diviſores unitatis Eccleſiæ — — poteſtas ſacerdotis exceditur a poteſtate Epiſcopi quaſi a poteſtate alterius generis. SED POTESTAS EPISCOPI EXCEDITUR A POTESTATE PAPÆ QUASI A POTESTATE EIUSDEM GENERIS. *Et ideo* OMNEM ACTUM HIERARCHICUM, QUEM POTEST FACERE PAPA IN MINISTRATIONE SACRAMENTORUM, POTEST FACERE EPISCOPUS, *non autem omnem actum, quem poteſt facere Epiſcopus, poteſt facere ſacerdos in Sacramentorum collatione*: ſum: ſec. ſec. q. 49. Art. 6. Agnoſcit itaque S. Thomas a Pontifice *non poteſtas alterius generis*, ſed in poteſtate eadem, atque *ſi unitas debet conſervari*, Epiſcopos excedi; agnoſcit ab Epiſcopis cunctis non minus ac Papa in Sacramentorum adminiſtratione, qua videlicet maxime *internum regimen* expeditur, omnem omnino Hierarchicum actum fieri poſſe. Optime hoc etiam ſequentibus expreſſit Gerſon Tom. I. pag. 126. antiq. Edit. apud Thomaſſin. P. I. L. I. c. 6. n. 18. *Nec tamen plenitudo poteſtatis Papalis ſic intelligenda eſt immediate ſuper omnes Chriſtianos, quod pro libitu poſſit juriſdictionem in omnes per ſe vel alios extraordinarios paſſim exercere. Sic enim præjudicaret Ordinariis, qui jus habent immediatum, imo immediatiſſimum ſuper plebes eis commiſſas* ACTUS HIERARCHICOS EXERCENDI. *Extenditur igitur plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores ſolum, dum ſubeſt neceſſitas ex defectu Ordinariorum inferiorum: vel dum adparet evidens utilitas Eccleſiæ.* Quæ & confirmant & dilucidant id, quod ſupra (§. 193.) monui circa illud axioma: *Papa omnia poteſt in toto mundo, quæ quiſque Epiſcopus in ſua Diœceſi.*

(*b*) Quod toties inſinuavi, certe veriſſimum eſt, Epiſcopos, eorumque Anteceſſores tributæ ſibi a Deo poteſtati, & inde fluentibus Epiſcoporum Juribus ac obligationibus numquam ita aut expreſſe aut tacite renunciare potuiſſe, ut ad exercitium horum jurium harumque obligationum, neque tum redire vellent, ſi etiam Eccleſræ neceſſitas, ac utilitas horum omnium veteriſque diſciplinæ reductionem poſtularet. Quapropter incaſſum præſcriptio, ceſſio, poſſeſſio, conſuetudo &c. objicerentur. *Jura veritatis*, ait Baronius, *ſunt ampliora omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum ſeculorum valeant præſcriptione lædi, nec innumera teſtium multitudine obrui, atque labefactari* ad an. 109. n. 51. *Et conſuetudo, quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius eſt momenti* — imo *non tam conſuetudo, quam corruptela cenſenda* — — ac ideo potiſſimum *radicitus evellenda, ne in privilegiorum jus aſſumatur, & pro legibus & privilegiorum more perpetuo celebretur.* Diſt. VIII. c. 3. c. 3. & fin. de conſuet. c. 1. eod. in 6. Atque licet, *quia nullus Prælatorum illo tempore, quo reſervationes & beneficiorum taxationes ſunt factæ, reclamavit ſeu contradixit, aut propter impotentiam, aut ignorantiam, aut utilitatem propriam, dicant jam quaſi per centum annos prædictas reſervationes in vim ſanctiſſimi Juris & canonis tranſmiſiſſe & præſcripſiſſe, nec poſſe Concilium Generale eas immutare, hoc tamen falſum eſt* — *qui non poſſunt in detrimentum & damnum univerſalis Eccleſiæ ſtare aut præſcribi: cum ſint contra naturam propriam corporis myſtici Eccleſiæ, & contra omnem ordinem juſtitiæ, & detrimentum omnium bonorum ſpiritualium Eccleſiæ*, ait Gerſon Tract. de Reform. Eccleſ. in Concil. Univ. cap. XVII. in actis Concil. Conſtant. Tom. I. P. V. pag. 709. Ceſſiones autem quomodo multæ contigerint, fatetur ipſe Joannes XXII. Extrav. de verb. ſignif. cap. 3. hiſce verbis: *Numquid non grave Eccleſiarum Prælatis & Rectoribus poteſt exiſtere, quod ipſos oporteat ſe opponere ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſorum caput noſcitur & Magiſtra, ac cum ea agendo vel defendendo* LITIGARE ASSIDUE VEL RECEDERE JURI SUO. Nec denique porro opus habemus, ut quidquamhac in parte noſtris verbis dicamus, dum pro coronide ſufficiunt hæc Cl. Zallwein effata: *Equis neſcit diſciplinam Eccleſiæ antiquioris ſemper ferme in pejus abiiſſe, ſanctiores ſynodorum canones ſuiſſo neglectos, nova eaque falſa decreta Eccleſiis non culpa Pontificum; ſed aliorum aut adulantium, aut quæ ſua ſunt, quærentium obtruſa, atque ipſi Pontifici ſuiſſe illuſum, irrepſiſſe abuſus, confuſionem jurium introductam, ambitionem non raro omnes agoeres perrupiſſe, aliquoties in ſchiſmate abiiſſe, bella conflaſſe, atque Eccleſiam univerſam mirum in modum divexaſſe? Atque his in turbinibus, & tumultibus quid mirum, ſi alterutra pars in vendicandis juribus ſuis quodammodo exceſſit, & alterius partis jura quodammodo violavit? quam ægre haud laturam exiſtimo*, SI PARS ALTERA SUA JURA MODESTE ET CUM DEBITO RESPECTU POSTLIMINIO REPETAT ET VINDICET — — ITAQUE NEMO SANUS GALLICANIS ECCLESIIS AUT IMPROBARE, AUT VITIO VERTERE POTERIT, SI AD ANTIQUOS CANONES ET MORES, QUOS OBSERVARE JUBENT LEGES OMNES, PROVOCENT, ET ADPELLENT, ILLIS CONSERVANDIS SUUM STUDIUM CONSECRENT, SUIS JURIBUS INVIGILENT, AMISSA REPETANT, AUSIBUS FUTURIS PRÆCAVEANT, ET CUIVIS SUUM TRI-

BUB-

BUERE SATAGANT. Tom. IV. quæſt. 3. cap. 2. §. 12. Conf. idem Cl. Vir Tom. II. q. 2. cap. 2. §. 4. addantur Floerkii Prænot. Juriſpr. obſervat. XXVII. pag. 127. Moſer Jus Publ. Germ. Tom. I. L. 1. Cap. 18. §. 55. imo & Pirrhing ad Decretales L. 3. Tit. 5. n. 354. ac Schmalzgrueber eod. Titul. n. 309. unde patebit reductioni Juris canonici genuini, nec obſtare concordata a Romana ſede cum variis nationibus inita. Neque obſtant quoque unquam ipſi ſummi Pontifices Juribus Epiſcoporum, utpote culpæ curiales ut non reiiciantur in ſummos Pontifices, jam toties pro debita iis reverentia & ob tot Gregorii M. Adriani VI. aliorumque aperta documenta a meis lectoribus flagitavi. Quæcumque autem alia obſtant, ea ſenſim ſine ſenſu prudentia, fortitudo, ac concordia Principum civilium ac ſacrorum Eccleſiæ Antiſtitum removebit; facilitante viam bona eaque libera & continuata Cleri ac populi inſtructione, de quo argumento paulo poſt plura dicemus.

§. 198. Et quamvis ipſa Epiſcoporum poteſtas ſpiritualis, atque iis nullum in bonis Eccleſiaſticis dominium eſt. Jus tamen & obligatio cujuſvis Epiſcopi etiam X. ſeſe extendit ad vigilantiam, ut reditus Eccleſiaſtici juxta Eccleſiæ, Reipublicæ ac fundatorum intentionem rite impendantur (*a*).

(*a*) Revoca tantummodo in mentem ſingula, quæ §§. 117. 118. 119. 121. 123. 124. cumprimis not. b. & c. 125. 126. 127. 128. circa Eccleſiæ Eccleſiaſticorumque bona expoſui; item quæ paulo ante de viſitationibus Eccleſiarum abſque earum onere inſtituendis dixi (§. 192. not. b.) Habet ſane Epiſcopus jus unaque graviſſimam obligationem hic obſervandi atque urgendi non tantum Canones, qui ſcilicet, quantum arbitrariam circa ipſa bona cujuſdam Pontificis conſtitutionem continent, alioquin ſolum vigore a Principibus proveniente obligant, ſed & maxime leges eorumdem Principum, ad quos unice ſuprema diſpoſitio de bonis in republica partim vi eminentis Dominii, partim proprietatis jure (ut citatis locis dilucidavi) quam certiſſime pertinet. Si autem qui canones, tum maxime etiam C. 70. & 71. Cauſ. XII. qu. 2. & Trid. Seſſ. XXV. C. 1. de reform. ante oculos habeantur. Ceterum neque negligenda eſt obſervatio: illa, quæ de bonis Eccleſiaſticis in juramento ab Epiſcopis ſummo Pontifici emitti ſolito continentur, intelligi debere ſalvis juribus Imperantium civilium, quibus itaque circa temporalia bona Eccleſiæ diſponentibus ſub prætextu hujus juramenti reſiſtere non licet. Enimvero ſequitur juramentum naturam promiſſionis, cui adjicitur, neque juramentum vinculum iniquitatis eſſe poteſt. Quemadmodum igitur nulla eſt promiſſio in præjudicium poteſtatis ſummo Imperanti divinis legibus tributæ; quemadmodum aperta certo iniquitas ſummo Principi hanc poteſtatem exercenti non obedire, ita & pro tali caſu nullus valor juramenti adjecti, nullum religionis vinculum, nullus metus perjurii, & conſcientia juſte anxia prætexi poteſt. Atque hæc quidem de adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ jam legitime adquiſita ſunt. Sed & ipſa adquiſitio, quam, niſi legitima ſit, nulla bona adminiſtratio cohoneſtare poteſt, legibus Principum receptiſque Canonibus eſt conformanda. Hinc contra amortizationis legem, aut normam in teſtamentis & legatis piis a ſummo Imperante ſtatutam, fruſtra obſtantibus Pontificum, qui poteſtatis ſuæ limites exceſſere, Decretis; fruſtra adductis, quæ non Principum conſenſu roborata ſunt, privilegiis non ulla adquiſitio valet. *Quicumque*, inquit S. AUGUSTINUS, *vult exhæredato filio hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imo Deo propitio nullum inveniet*. C. 43. Cauſ. XVII. qu. 4. Et S. CHRYSOSTOMUS; *non quidem prohibeo magnifica templa condere, ſed dignum puto ante omnia miſericordiæ & pietati eſſe incumbendum*; atque cum juxta eundem CHRYSOSTOMUM ſubjectio non ſubvertat pietatem, hac ſalva obſervabitur L. 13. Cod. de SS. Eccleſ. vi cujus Eccleſiæ, martyrio, Clero, Monachis & pauperibus relictum tum demum præſtandum eſt, ſi ultima voluntas *omni juris ratione ſit munita*. *Neque dicas* ait Cl. de Riegger, *a poteſtate legislatoria civili, exercitio conſiliorum Evangelicorum conditis legibus nequidem poſſe impedimentum poni, & in teſtamento ad pias cauſas ceſſare finem legum civilem ſolemnitatem adſtruentium, quum opus tam ſanctum periculo fallaciarum non videatur eſſe obnoxium, nec etiam dolo agat, qui perſuadet alteri, ut honorem Dei promoveat, & laudabili munificentia pias cauſas proſequatur. Quid? Infertne Paterfamilias vim conſiliis Evangelicis, ſi inſtituendo fidei commiſſo hæredibus & poſteris ſuis omne illud ad quoſcunque & ob quaſcunque cauſas alienandi facultatem adimat? Quonam ergo fonte ſummum Imperantem civilem peccati argues, ſi teſtamento pia contra fraudes ſolemnitatum adparatu muniat, certumque genus hominum ab eorum factione ſimpliciter & abſolute excludat. Conſulit Chriſtus exercitium conſiliorum Evangelicorum, ſed præcepit etiam obedire Principibus ad Rom. XIII. Poteſt teſtamentum ad pias cauſas eſſe indiſcretum, poteſt officere pieta-*

pietati, qua complecti tenemur poſteritatem noſtram, poteſt offendere gratitudinem, qua remunerari convenit beneficia nobis præſtita, poteſt lædere charitatem, qua cognatis potius egeſtate preſſis jubemur ſuccurrere, quam ſplendido opere æternitati nominis conſulere. &c. L. 3. Decret. Tit. XXVI. de teſt. & ult. volunt. §. 415.

§. 199. Jam ex recenſitis ſacrorum Hierarcharum juribus & obligationibus facile deducuntur eorundem jura reliqua ceteræque obligationes. Enimvero facile porro innoteſcit munus Epiſcoporum XI. aſſiduos labores (*a*) & XII. ſingulares in Epiſcopis qualitates requirere (*b*).

(*a*) *Nomen paſtoris non ad quietem, ſed ad laborem nos ſuſcepiſſe cognoſcite*, ſcribit GREGORIUS Epiſcopis L. 4. Epiſt. 8. Et S. AUGUSTINUS Lib. 19. de civit. Dei C. 19. ait —— *Epiſcopos, ſi velimus, latine ſuperintendentes poſſumus dicere, ut intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe*. Hinc etiam concilium Trident. Seſſ. 25. C. 1. de Reform. monet; *et ii, qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes, agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, ſed ad labores & ſollicitudinem eſſe vocatos*. Quibus ſubiungit Cl. Van-Eſpen I. E. U. P. I. Tit. XVI. C. III. §. 6. *Videant ergo hi, qui ſe Apoſtolorum ſucceſſores eſſe gloriantur, ne dum rejecto in alios pondere diei & æſtus reſervatis ſibi honoribus & divitiis in ipſis verificetur, quod dictum refertur de ſimilibus a Judoco Clictovio Doctore ſorbonico*: ADIBUNT HUJUSMODI per Vicarios PARADISUM; in perſona INFEROS. *apud Eſpenceum* L. 3. *Digreſſ.* c. 2. Veriſſimum ſane axioma Bellarmini eſt: *Non inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias*. Confer C. 17. Antiochen. & 71. Afric. de quo ait laudatus Van-Eſpen, *hic canon ferit Epiſcopos, qui quietis & liberioris vitæ cupidine ducti relicta principali Cathedra in civitate, ubi major eis negotiorum cura incumbit, ad ruralem aliquam Eccleſiam a Civitate remotam, ut mollius & liberius agere poſſent, ſe conferebant*. Vide apud eundem auctorem P. I. Tit. XVI. de cura Epiſcopali; maxime C. X. ubi præcipuum munus Epiſcoporum prædicationem verbi Dei eſſe demonſtat.

(*b*) Vide Epiſtolas B. Pauli Apoſtoli ad Tim. & Tit. ſcriptas. Diſtinct. a. 35. uſque 90. non tamen ſine Commentario Cl. Van-Eſpen in I. partem Gratiani; ſynod. Trid. Seſſ. 22. C. 2. Inſtruct. Urbani VIII. quæ habetur apud Barboſam L. 1. Jur. Eccleſ. c. 9. in qua præ reliquis notanda ſunt hæc interrogatoria; *an promovendum ſciat aliquo gradu* IN JURE CANONICO VEL IN SACRA THEOLOGIA *inſignitum eſſe*, QUIBUS IN LOCIS, QUANTO TEMPORE, QUO FRUCTU *ipſi Theologiæ vel Juri Canonico operam dederit, & an* VERE EA DOCTRINA POLLEAT, *quæ* IN EPISCOPO *requiritur, ad hoc, ut poſſit alios docere*; cur autem ſecundum mentem Apoſtoli, canones, ſtatuta Conciliorum & Decreta Pontificum præter alias qualitates etiam ad doctrinam reſpici debeat, reddit rationem Michael Rouſſel in Hiſtoria Juriſdictionis Pontif. L. 2. c. 6. n. 19. ubi ait: *ſic enim dignitas Eccleſiæ, quæ maxime viget in doctis & bene moratis Præſulibus (a Doctrina autem præclari mores plerumque naſcuntur, ut ab ignorantia pravi) facile reſtitueretur*. Omitto, ne fuſior ſim, atque notiſſima dicam, recenſere, quantum & Religioni & rebus publicis Epiſcopi genuinam pietatem cum genuinis litteris conjungentes profuerint, quomodo ſub his & Epiſcoporum & Principum jura ſubſtiterint immota, quantum utrique autem nocuerint ignari, aut, quod pejus eſt, ſpurie edocti, qui utinam non ſæpe veritatem citatæ Rouſſelii ſententiæ exhibuiſſent, videlicet, *quod a doctrina præclari mores plerumque naſcantur, ut ab ignorantia pravi*; ſimulque tam jurium ſuorum, quam colliſionum inter Imperium & Sacerdotium aut incurii fuiſſent, aut plane ejuſmodi uſurpationum exſtitiſſent fautores. Et univerſe citata Diſt. 35. C. 1. optime concludit Gratianus, *quod non ſufficiat Prælatis bona converſatio, & morum honeſtas, niſi addatur ſcientia Doctrinæ*: in cujus probationem C. 2. adducit Decretum Concilii Toletani IV. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt —— ſciant igitur Sacerdotes*, SCRIPTURAS SANCTAS ET CANONES & C. 4. vulgare *Cæleſtini* dictum: *Nulli ſacerdotum liceat Canones ignorare*, ne nimirum, quia ad cuſtodiam legis fruſtranea eſt voluntas efficax, niſi cognitio viva præcedat, quidquam faciat, *quod Patrum poſſit Regulis obviare*. An non igitur illi cumprimis Sacerdoti, quicumque in ſua Diœceſi ſummus eſt, maxime neceſſaria eſt doctrina, & doctrina quidem eatenus numeris omnibus abſoluta, quatenus eandem, ut efficax ſit, *prudentia*, quam non minus Apoſt. Paulus deſiderat, ſeu illa ars bene excogitata rite exequendi comitari debet. Conf. Cl. Van-Eſpen l. cit.

§. 200.

§. 200. Et quis non ulterius concludet Epiſcopos XIII. eſſe alligatos ſuæ Eccleſiæ (*a*) & hanc ob cauſam divino Jure tam XIV. ad Reſidentiam (*b*) quam XV. ad fugiendam beneficiorum pluralitatem obbligatos. (*c*).

(*a*) Non expedire Eccleſiis, ut paſtor, vix ac oves cognovit, ab iiſque cognitus eſt, eaſdem deſerat, & quem hic jam aſſuetus facili negotio continuare potuiſſet ſacrum laborem, alibi gravius ordiatur, ipſa ratione innoteſcit, *Cura enim animarum non eſt actio deſultoria, ſed continuum laborem expoſcit, docendo corrigendo & perficiendo. Tempore opus eſt ad conciliandam fiduciam, ad bona opera oſtendenda, ad vitæ morumque probitatem uniformem ſervandam.* Fleurii Hiſt. Eccleſ. P. 1. C. 16. §. 1. Hinc juxta veterem quoque diſciplinam tranſcurſiones de una ad aliam Eccleſiam ipſis Eccleſiis pernicioſæ; & populo ſcandaloſæ, nec aliunde quam ex *ambitione* aut *avaritia* procedere exiſtimabantur. Hinc tot canones & conciliorum Decreta translationibus, ne ſine *ſumma Eccleſiæ utilitate* & ſine prævia, quæ tum ad Metropolitanum & ſynodum provincialem pertinebat, *cauſæ cognitione* fierent, ſollicite opponebantur. Nunquam autem hoc ipſum, quod inter Eccleſiam & Epiſcopum intercedit ſpirituale vinculum ab antiquis cum carnali matrimonio comparatum, aut fortius judicatum, & propterea ejuſdem diſſolutionem ſoli Pontifici adtributam eſſe legimus. Recentius id, atque Iſidorianum inventum eſt ſpuriis Callixti & Evariſti Decretalibus palliatum. Cauſ. VII. q. 1. c. 11. & 39. Ut enim inter *matrimonium carnale*, quantumvis id conſummatum Pontifex ſolvere nequit, quantumvis Pontificio privilegio polyginæcia non unquam licita redditur, & inter *matrimonium ſpirituale*, quod Pontifex aut ſolvere, aut cum pluribus Eccleſiis admittere poteſt, inſtituta comparatio alicui placeret; ut alicui perſuaderetur, ſolutionem conjugii ſpiritualis, quia fortius carnali, non minus ac hoc judicio ſolius Dei, aut qui ejus vices gerit, Pontificis reſervatam eſſe juxta illud; quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, quin adverteret hac ratione etiam ſolutionem matrimonii carnalis per falſam conſequentiam Pontificis tanquam vices Dei gerentis judicio ſubjici poſſe, id ſane non niſi Iſidoriana tempora ferebant.

Conf. Cl. Van-Eſeen P. 1. T. XV. C. 5. & 6. & Cl. de Riegger L. 1. Decret. Tit. VII. de translatione Epiſcopi.

(*b*) Enim vero,

1. Ex ipſa natura paſtoralis muneris, quod cuidam ſpeciatim commiſſum eſt, quod aſſiduum atque præſentiſſimum laborem ovibus impendendum ſecumfert; atque adeo ex naturali ad Religionem noſtram adplicato jure intelligitur: noſtros paſtores ſacros *ad perſonale ſervitium ſuis Eccleſiis præſtandum etiam in locis ſuorum beneficiorum aſſidue commorandi*, ſeu quod idem eſt, *reſidendi* obligationem habere. Verum præter hoc divinum ſola ratione innoteſcens præceptum etiam poſitivæ Numinis leges quam plurimæ extant, quæ nos reſidentiam juris divini eſſe apertiſſime convincunt. Sic adverte

2. *Qui autem intrat per oſtium, Paſtor eſt ovium* CUJUS VOCEM OVES EJUS AUDIUNT, *&* PROPRIAS OVES VOCAT NOMINATIM, ET EDUCIT EAS. *Et cum* PROPRIAS OVES *emiſerit, ante eas vadit, & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus;* ALIENUM *autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem* ALIENORUM. — — *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. MERCENARIUS *autem*, ET QUI NON EST PASTOR, CUJUS NON SUNT OVES PROPRIÆ, *videt lupum venientem, &* DIMITTIT OVES, *& fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves* — — OVES MEÆ VOCEM MEAM AUDIUNT, ET EGO COGNOSCO EAS ET SEQUUNTUR ME. Joan. X.

3. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo* vos *Spiritus ſanctus poſuit* EPISCOPOS *regere Eccleſiam Dei*. Act. Apoſt. XX.

4. Tu *vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*. II. ad Tim. C. IV.

5. *Hujus rei gratia reliqui* TE *Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. ad Tit. C. I.

6. *Poſcite, qui in vobis eſt gregem Dei — — forma facti gregis*. I. B. Petr. C. 5. quibus omnibus centum alios textus jungere poſſem. Quid itaque obeſt, quod Tridentina ſynodus Seſſ. XXIII. C. 1. hanc quæſtionem, num Reſidentia Juris Divini, num humani ſit, non decidendam ſumſit, dum ibidem; quod adverte

7. Non aliis tamen incipit verbis, quam *cum* PRECEPTO DIVINO *mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione Sacramentorum adminiſtratione ac bonorum omnium exemplo paſcere, pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munia paſtoralia incumbere*; dum rationi & ſacris litteris convenienter proſequitur hæc; *omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt*; dum denique concludit admonendo,

do, *ut* DIVINORUM PRÆCEPTORUM *memores, factique forma gregis in judicio & veritate paſcant & regant*. Atque huic Tridentinæ Synodi Decreto non diſſimiles ſunt Canones vetuſtiſſimi *Sardic.* 7. & 14. *Carthag.* V. 5. *Nicæn.* I. 16. Et audiamus tantummodo Alexandrum Natalem, qui ita habet: *de reſidentia viſum eſt ſanctæ ſynodo definiendum non eſſe, quo Jure ad eam Paſtores tenerentur, propterea quod complures anſam inde arripuiſſent damnandi res antea geſtas, & juſtam abſentiam Epiſcoporum, ut ſcripſit Cardinalis Lotharingius in literis ad Britonem ſecretarium ſuum cum Romano Pontifice communicandis. Sic porro incipit decretum*: CUM PRÆCEPTO DIVINO *mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere* &c. *His verbis conceptum decretum eſt, quibus veritati, conciliique exiſtimationi conſultum eſſet, ubique enim jam conclamabatur* PATRES JAM NON POSSE FERRE JUS DIVINUM, SED NE QUIDEM AUDIRE *inquit Cardinalis Lotharingius ad Britonem ſecretarium ſuum & rerum ſuarum in Romana Curia Procuratorem, additque*, QUOD QUANTUM SCANDALUM AFFERRE POSSIT HIS NOSTRIS CALAMITOSIS TEMPORIBUS, QUIS NON AUDIT? HAC VIA IN HÆRESI SUA CONFIRMANTUR HÆRETICI; QUI NOS AJUNT RELIQUISSE MANDATA DEI PROPTER TRADITIONES HOMINUM, QUI DE OPPRESSO PER NOS VERBO DEI PERPETUO CONQUERUNTUR: SCANDALIZANTUR CATHOLICI, QUI, HOC NE VERUM SIT, NUNC MAXIME VEREBUNTUR. ITAQUE UT ILLI CALUMNIÆ OBVIAREMUS, ET PUSILLOS NON SCANDALIZAREMUS, DEPUTATI AD REFORMANDUM DECRETUM DE ORDINE CENSUIMUS INCIPIENDUM DECRETUM A DIVINO MANDATO, UT EX EO FUNCTIONES NOBIS INJUNCTÆ ELICERENTUR ET ABSTINEREMUS POSTEA AB EXPRESSIONE EA, QUÆ AB ALIQUIBUS EXPOSCEBATUR, UT DICEREMUS RESIDENTIAM ESSE EX JURE DIVINO. *Haud plures quam ſex aut ſeptem in dicendis ſententiis ita exorbitaſſe teſtatur, ut dicerent, Epiſcopos jure tantum poſitivo, & canonicis conſtitutionibus ad reſidentiam obligari*. Hiſt. Eccleſ. Tom. IX. Diſſ. XII. Artic. XIII. num. III. pag. 713. Edit. Luc. 1734. Ejuſdem nobiſcum ſententiæ nunquam non fuere

8. *SS. Patres*; ſic S. ATHANASIUS ad Conſtantium Imperatorem inquit. *Noſti ex lectione ſcripturarum, quanti ſceleris ſit Epiſcopum Eccleſiam ſuam deſerere & negligere gregem Dei. Paſtorum enim abſentia lupis invadendi gregis occaſionem præſtat. Si fugiſſem, quam excuſationem apud veros Epiſcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem credidit, habuiſſem* —— Apol. ad Conſtantium. Sic præter rationem, S. ſcripturam, & Concilia ad *Patres* provocavit Bartholomæus de Martyribus Archiepiſcopus Bracarenſis ſanctitate & doctrina ſpectabilis, dum in ipſo Concilio Tridentino ſuper formando Decreto de Reſidentia Epiſcoporum ſuum ſuffragium ita incepit: *Ex prælatis plures, qui ante me locuti ſunt, plus ſatis & magno numero exhibuerunt loca Conciliorum & SS. Patrum, ſpeciatimque* S. THOMÆ, *e quibus videre eſt, reſidentiam paſtorum & indiſpenſabilem & juris divini eſſe, ſed ſi quod in animo eſt, mihi licet verbis enunciare, infelices profecto videmur, qui ſuper hoc negotio ſententiam proferre debemus. Quo enim ben! Eccleſia redacta eſt, ſi illi ipſi, quos Deus protectores & cuſtodes ejus conſtituit, incumbatne ipſis obligatio cum ipſa fideliter remanendi, in dubium revocent? Intolerabile nobis foret, ſi quiſpiam vel dubitaret ſolum, teneaturne fidelis famulus parvulis ſuæ curæ commiſſis, Paſtor gregi ſuo, & mater filio, quem lactat, adhærere, & dubitamus, an Deus, qui curam commiſit nobis filiorum ſuorum, quorum teſte Paulo ſimul & paſtores & patres & matres ſumus, indiſpenſabili vinculo ipſis adhærendi nos adſtrinxerit? Paſtores vocat* S. AMBROSIUS *Vicarios amoris Chriſti, vultque, quemadmodum Chriſtus ipſos hæredes effecit ſacerdotii ſui, ita fiant & imitatores perfectæ ejus charitatis. Propterea a ſancto Petro & in Petri perſona ab omnibus paſtoribus, antequam paſtorem agnorum ſuorum eum conſtituat, triplicem amorem expoſcit. An ergo dubitamus, teneamurne cum illis manere, pro quibus omni momento ipſam etiam animam ponere paratos nos eſſe oportet? Diſceptamus an noſtra præſentia ipſis debita ſit, qui tamen diffiteri nequaquam poſſumus, vitam noſtram ipſorum magis quam noſtram eſſe.* &c. &c. apud Van-Eſpen J. E. P. 1. Tit. XVI. C. 8. §. 13. vide denique

9. C. 11. cauſ. VII. qu. 1. C. 11. cauſ. VII. qu. 1. C. 71. cauſ. XII. q. 2. (quos ſpeciatim Tridentinæ ſynodi decretum reſpicit) C. extirpandæ de Præb.

Contra tanti ponderis argumenta nil unquam certe valebit, quæcumque occlametur *conſuetudo*, quam ſcilicet tanquam rationi, ſacris literis, conciliis & SS. Patribus adverſam, & a ſynodo Trident. Seſſ. VII. C. 1. de Ref. rejectam, non conſuetudinem, ſed corruptelam dixeris; nil tritum quidem, ſed huc non quadrans axioma, *quod quis per alium facit, per ſe feciſſe cenſetur*, cum citata ex Joann. C. 10. verba ſingula, (ut apud Van-Eſpen l. c. Fagnanus reponit) *evidenter demonſtrent officium paſtoris animarum eſſe omnino perſonale ex præcepto Evangelico, nec poſſe ex ſui natura per alium adimpleri, dum in electio-*

ne

ne ad Episcopatum conſiderantur induſtria & qualitas perſonæ; in his autem, in quibus perſonæ induſtria requiritur, operam vicariam non admitti in confeſſo eſt. Nil provocatio ad diſpenſationes in jure divino humana auctoritate non poſſibiles, in Reſidentia autem fieri ſolitas; quandoquidem tota illa diſpenſatio tantum impropria, atque potius cognitio ac declaratio eſt juſtarum cauſarum, pro quarum concurſu divinum illud de reſidendo præceptum non unquam latum fuerat; non ſecus ac leges naturales, quantumvis divinæ & immutabiles, in aliis adjunctis, pro quibus latæ non ſunt, ſuam obligandi vim non exercere queunt; Ejuſmodi cauſæ generatim ſunt neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ aut Reipublicæ, atque Chriſtiana charitas, dum videlicet paſtoris abſentia Eccleſiæ, Reipublicæ ſingulisve utriuſque membris ſubinde neceſſaria, atque hoc illove caſu magis, quam præſentia poteſt eſſe proficua. Conf. Matth. XVIII. 12. Joan. X. 16. Concil. Trid. Seſſ. XXIII. C. 1. de Reform. Nil exemplum Apoſtolorum, quibus ideo, ut animas primum quærerent, ac Eccleſias particulares ſuis ſucceſſoribus obventuras fundarent, & quidem ſat laborioſe, circumeundum erat, præterquam quod utique jam Titus Cretæ ad perſonale ibidem Eccleſiæ miniſterium præſtandum, aliique plures jam ab Apoſtolis ad certas ſedes conſtituti fuerint, uti ſupra jam oſtendimus. Nil denique aut prætextus dignitatum, quarum nullam, nequidem *Cardinalium*, ſynodus Tridentina Seſſ. XXIII. C.I. de reform. excipit, aut falſiſſima illorum ratiocinatio, qui inde, quod ab Eccleſia Diœceſeon diſtributio facta eſt, etiam ab Eccleſia obligationem ibidem reſidendi, remitti poſſe deducunt; quaſi vero is, qui militibus ad certandum idoneis, & hunc in finem a Principe ſuſceptis arma diſtribuere juſſus eſt, iiſdem, ſervato militis officio ſtipendioque, certandi obligationem remittere, alioſque ſubſtituendi licentiam impertiri poſſet. Neque autem, quod non minus alibi jam oſtendi, omnium Diœceſeon diſtributio ab Eccleſia eſt; neque, ſi eſſet etiam, ipſam tamen paſcendi poteſtatem & obligationem, quæ ſcilicet immediate a Deo eſt, ab Eccleſia venire concludere poſſemus. Ceterum Reſidentiæ laxitatem potiſſimum promovebant, 1. Expeditiones illæ cruciatarum in terram ſanctam ſeculo XI. 2. Admiſſiones ejuſmodi perſonarum ad beneficia, quibus deinde demum diſcendi cauſa ſe ad Academias ſine diſpendio fructuum conferre licuit. 3. Itinera ad curiam Romanam frequentiſſima. 4. Seceſſus ſummorum Pontificum Avenionem, quo facto videlicet ipſi Pontifices in diſpenſationibus circa reſidentiam perfaciles erant, 5. pluralitas beneficiorum.

Conf. Cl. de Riegger L. 3. Decret. Tit. 4. de Clericis non reſidentibus.

(c) Non minus adverſus beneficiorum pluralitatem omne tam naturale quam poſitivum; tam divinum quam humanum jus pugnare, facili negotio demonſtratur. Etenim

1. Dum jure naturali, poſitivo divino, nec non Conciliorum Canonibus, & patrum teſtimoniis, ut nunc ante oſtendimus, reſidentia, & quidem laborioſa in beneficii loco injuncta eſt, qua quæſo ratione cum ejuſmodi reſidentia ſalvis his juribus & teſtimoniis pluralitas beneficiorum conciliari poterit? qua quæſo ratione quis in beneficiis pluribus officia ſua eorumdem cuivis debito, atque dictis juribus ſatisfaciet? Quæ ad hanc quæſtionem alioquin nonniſi laxiſſima dari poſſent reſponſa, iis porro ipſum canonici juris corpus obiice; atque adeo

2. Diſt. LXXXIX. C. 1. *Singula Eccleſiaſtici Juris officia ſingulis quibuſcumque perſonis ſingulatim committi jubemus —— neque uni* QUANTUMLIBET EXERCITATÆ *perſonæ uno tempore duarum rerum officia committenda ſunt —— Et ſicut indecorum eſt, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium ſimulque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa.*

3. Cap. 1. de conſuet. n. 6. quod naturalem pluralitatis beneficiorum abſurditatem ſatis exprimit his verbis: *cum unum officium vix digne valeat aliquis adimplere.*

4. Cap. 13. de præbend. quod paucis lincolis ſufficiens eſt, dum ita habet. *Iſtud eſt omni rationi contrarium, ut unus clericus in una vel diverſis Eccleſiis plures dignitates, vel perſonatus obtineat: cum ſingula officia in Eccleſia aſſiduitatem exigant perſonarum.* Adde cap. 14. & 15. ibidem.

5. Extr. execrab. 4. inter Com. cujus omnino digniſſimum relatu eſt hoc initium: *Execrabile quorumdam tam religioſorum quam ſecularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eo magis inſatiabilis creditur, quo ſibi amplius indulgetur, & improbitas importuna potentium a nobis & prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus non tam obtinuiſſe, quam extorſiſſe plerumque noſcuntur, ut unus interdum etiam ad unum beneficium Eccleſiaſticum minus idoneus in diverſis Eccleſiis nedum vicinis, ſed ab invicem longe diſtantibus, imo non nunquam in diverſorum Regnorum partibus ſituatis plures, quam duas vel tres aut plures etiam dignitates, vel perſonatus, officia, ſeu prioratus, aut diverſa Eccleſiaſtica beneficia curam animarum habentia poſſit diſpenſative, cum alias non liceret de jure communi, recipere & ſimul licite retinere. Unde inter cetera, inconvenientia infraſcripta naſcuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere ſufficeret,*

Digitized by Google

PLURIMORUM SIBI VINDICAT STIPENDIA, QUÆ MULTIS LITTERATIS VIRIS VITÆ PURITATE AC TESTIMONIO BONÆ FAMÆ POLLENTIBUS, QUI MENDICANT, POSSENT ABUNDE SUFFICERE ÆQUA DISTRIBUTIONE COLLATA. HABENTIBUS IPSA, PARATUR VAGANDI MATERIA, DIVINI CULTUS MINUUNTUR, HOSPITALITAS IN IPSIS DEBITA NON SERVATUR — ET QUOD AMARIUS EST DOLENDUM, ANIMARUM CURA NEGLIGITUR, ET VITIORUM SENTIBUS FOMENTUM PERICULOSE PRÆBETUR, &c. &c. Sed Deum bonum? quam multi hos rationi, ſacris literis, & tam conciliorum ſtatutis, quam SS. Patrum ſententiis, conformatos Canones aut non advertunt, aut alto prætereunt ſilentio, qui contra, dum de eliminandis illis in ſubverſionem Jurium Majeſtaticorum directis Iſidori fraudibus agitur, canonici juris corpus integerrime ſervari volunt; Rem ſcilicet omnem pro ſe ita bonam, atque ſecuros ſe hoc juris corpore redditos eſſe exiſtimant, modo ad idem tenaces adpellent; quantumvis ſi, quod integre defendunt, etiam integre legerent, & cum diligentia ſcrutarentur, mille genuinos deprehenderent Canones, quorum alii ſanctiſſima Principum jura, alii diſciplinam veteris Eccleſiæ eiuſmodi adverſariis profecto non faventem ſtrictiſſime urgent; adeo, ut dein ante oculos cujuſvis, qui in legendo Iuris Corpore genuino Canonum ſpiritui indagando ſtudet, Iſidorianæ fraudes, quin eliminentur, diſpareant. Adde

6. Sententiam Divi *Thomæ*, qui nempe libro IX. quæſt. VII. art. 11. pluralitatem beneficiorum iis adnumerat actionibus, quæ abſolute & in ſe conſideratæ deformitatem & inordinationem quandam important, atque adeo nullum favorem & conſuetudinem hic ſufficere putat, niſi circumſtent cauſæ, quibus hæc inordinata penitus abſtergantur.

Et proinde de diſpenſationibus quoad beneficiorum pluralitatem idem plane dicendum, quod ſupra de diſpenſationibus in Reſidentia diximus. Proprie ſcilicet, neque hic contra naturale, & poſitivum divinum jus diſpenſatio tenet, ſed cognitio ſolum deciſioque ſullarum cauſarum, quæ in neceſſitate aut utilitate ipſius Eccleſiæ ac Reipublicæ, ſingulorumque fidelium aut civium charitate fundamentum habent. Sic citata Extravag. Execrabilis generatim jam exceptos ponit *Cardinales ſanctæ Rom. Eccleſiæ, qui circa pontificem univerſali Eccleſiæ ſerviendo ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt, ac Regum filios, qui propter ſublimitatem eorum ac generis claritatem ſunt potioris prærogativa gratiæ attollendi.* Enimvero Regum filios non tam propter nudam generis claritatem *ex gratia*, ſed quia filii ſummorum Eccleſiæ Protectorum & Benefactorum ſunt, *ex debita gratitudine*, & quia tales Eccleſiis non minus ſplendoris ac utilitatis adferre queunt, *ex juſta providentia* a pluribus beneficiis omnino arcendos non eſſe; meo quidem judicio rectius juxta illud: *Regem honorificate*, dicere poſſemus. Conf. Cl. de Riegger L. 3. Decret. Tit. 5. de Præf.

§.201. Quis denique non etiam concludit; inter præcipua curæ Epiſcopalis capita eſſe quoque XVI. Prædicationem Verbi divini, & ſinceram fervidamque populi inſtructionem (*a*) XVII. Providentiam in formando conſervandoque bono clero, ac debita eidem reverentia comparanda (*b*) XVIII. rectam conſtitutionem Conſiſtoriorum (*c*) veluti etiam ceterum XIX. cautum eorum, qui in Conſilia adhibentur, ſelectum (*d*), ac denique generatim XX. quotidianam ſollicitudinem nihil omnino, aut verbis, aut exemplis committendi, quo gravitas & authoritas Epiſcopo neceſſaria vel in minimæ diminutionis periculum veniret (*e*), & quod aliam, quam genuinam ſolius veritatis, ſolius puræ religionis, ſolius animarum ſalutis intentionem vel a longe monſtraret (*f*).

(*a*) Agnoſcebant docebantque Apoſtoli præcipuum ſuum munus eſſe prædicare verbum Dei, Vid. Act. Ap. C. VI. XX. v. 18. 23.24. I. ad Corinth. I. v. 18. atque huic muneri ſatisfaciendi obligationem ſatis urgent S. Thomas 3. P. q. 69. art. 2. ad 1. Concilium Tridentinum Seſſ. V. cap. 2. & Seſſ. XXIV. c. 4. de Ref. expreſſe ad id adigens omnes Epiſcopos, ſi, quod bene notes, *legitime impediti non fuerint*, atque adeo certe impedimentis per pluralitatem beneficiorum, aliaque ſine neceſſitate inducendis non favens; porro S. Carolus in ſua prima provinciali ſynodo part. 1. Tit. 6. S. Ambroſius L. 1. off. c. 1. Conf. Van-Eſpen I. E. U. P. I. Tit. XVI. cap. XI. nec non reflecte ad ea, quæ jam ſupra (§. 200.) diximus. Videlicet Apoſtolis dicebatur: *prædicate Evangelium omni creaturæ*. In quo mandato Apoſtolis dato ſimul advertas velim jam omnem quoque populum perfecte & ſincere inſtruendi obligationem contineri. Enimvero quid in Evangelio contineretur aliud, quam officia erga Deum tam naturalia, quam revelata; officia erga ſemetipſum; officia erga proximum; officia erga ſummos Principes, & Patriam confirmata? ſeu paucis! quid in Evangelio reperi-

Digitized by Google

tur aliud, quam complexus obligationum hominis, obligationum Chriſtiani, obligationum civis? Et quid igitur mandatum divinum de prædicando Evangelio aliud, quam mandatum de ſingulis hiſce officiis ſecundum verba & exempla Chriſti populo inculcandis? Et an non igitur pura Evangelii prædicatio inſtructio populi perfectiſſima? Revoca, quæſo in mentem etiam ea, quæ jam ſub finem Tom. II. de methodo populum fidelem ſincere, zeloſe ac familiariter inſtruendi docebam, & confer Jo. Andreæ Serrai in Regia S. Salvatoris Academia Catechef. & moralis Theologiæ Profeſſoris de claris Catechiſtis ad Ferdinandum IV. Regem Libr. VIII. Viennæ Typis Joſephi Gerold 1777. recuſos. Profecto populi, ſeu ſuperſtitioſi, ſeu ad heterodoxam partem inclinantis, ſeu novis pro Eccleſiæ ac Reipublicæ bono latis conſtitutionibus turbati cauſa, ſæpe in ſolo defectu bonæ ac ſinceræ inſtructionis latet.

(*b*) Quantumvis vigilantia Epiſcopi in totam Diœceſim & univerſe in omnium ſibi ſubditarum ovium ſalutem ſe extendere, atque propterea ipſe in Diœceſi reſidere, & plura beneficia non ſuſcipere debet, vigilantiſſimus tamen Epiſcopus neque ſingulis ſuæ Diœceſeos fidelibus, neque ſingulis etiam earundem communitatibus continuo adeſſe, iiſque ſufficere poteſt. Non ſolum igitur Epiſcopis licet, ſed & neceſſe eſt, ut complures perſonas in partem ſuæ paſtoralis ſollicitudinis vocent, quæ videlicet ſub eorundem ſollicita & ſuprema inſpectione animarum curæ ſeſe impendant. Quis itaque jam non videt, Epiſcoporum cuivis bonam conſtitutionem & honorem ejuſmodi perſonarum, a quibus tot animarum regimen atque ſalus dependet, tanquam medium præcipuum ad ſacrum finem nunquam non præ oculis eſſe habenda. Profecto autem non hic ſatis erit, ut apud omnes internam externamque urgeat vitæ honeſtatem, ut quidquid dedecet, quidquid Canones remotum eſſe volunt, neceſſaria prohibeat cum efficacitate, ſed id inſuper quam maxime erit procurandum, ut eædem perſonæ illis, quas tam gravis animarum cura exigit, diſciplinis abunde ſint inſtructæ. Obſervatum ſedulo in veteri Eccleſia id fuiſſe, facile inde colligitur, quod cuncta gravioris momenti negotia ſuſcepturi Epiſcopi Clerum ſuum in conſilium vocavere. De idoneo itaque ad graviſſima conſilia Clero quod ſibi Epiſcopi proſpexerint, pro certo ſane probatoque eſt ſumendum. Ut autem ex iis, quæ hic quam plurima dici poſſent, præcipua & quodam ordine exhibeamus: Rectores Eccleſiarum

1. Ipſi eundem ſacrum clerum, quem ab aliis honoratum volunt, & velle debent, æſtimatione proſequantur ſecundum illa Pauli monita: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres* I. ad Tim. V. 1. *Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docilem, patientem, cum modeſtia corripientem.* II. ad Tim. II. 24. *Neminem blaſphemare &c.* ad Tim. III. 2. item B. Petri: *Neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo* I. Epiſt. C. V. 3. *Et ne dictum ſola humilitatis cauſa putes, non etiam veritate*; ait Bernardus, *vox Domini eſt in Evangelio*, REGES GENTIUM DOMINANTUR; VOS AUTEM NON SIC. L. 2. Conſid. Cum quibus monitis conſentit Diſt. XLV. c. 6. ita habens: *Licet nonnunquam accidant, quæ in ſacerdotalibus ſunt reprehendenda perſonis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quam ſeveritas, plus cohortatio quam comminatio, plus charitas quam poteſtas, ſed hi, qui, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, facile ab hac lege diſcernuntur; & dum dominare magis quam conſulere ſubditis quærunt, placet bonor, inflat ſuperbia, & quod proviſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam*; adde Diſt. XLVI. c. 1. & 2. quod tamen non obſtat, quominus ſi lenitas fruſtranea eſt.

2. Ejuſmodi, qui *in doctrina, in integritate, in gravitate* adeo *ſe non præbent exemplum bonorum operum*, ut non tantum, *qui ex adverſo ſunt, habeant malum dicere de iis*: ad Tit. c. 2. v. 7. ſed etiam ipſis fidelibus, *qui in eos tanquam in ſpeculum oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur*, Trid. Seſſ. XXII. c. 1. non ſunt ædificationi, ejuſmodi inquam Eccleſiaſticas perſonas etiam ſeverius *non* tam *ſævientis* quam *medentis animo* caſtigent. Diſt. LXXXVI. c. 9. *Vehementer enim Eccleſiam Chriſti deſtruit meliores laicos eſſe quam Clericos.* cap. 21. Cauſ. VIII. q. 1. Eſt curandum igitur Epiſcopis quam maxime, ne inferiorum culpæ in ipſos refundantur, juxta illud S. Leonis: *inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligenteſque Rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam*: cit. Diſt. LXXXVI. c. 1. Prævertunt autem Rectores Eccleſiarum potiſſimum violentiæ neceſſitatem, quando

3. Non tantum verbo, ſed etiam opere ſeſe adeo benevolos; imo juſtos exhibent, ut eos, qui & morum integritate & genuinis ſcientiis alios antecellunt, etiam aliis minus dignis nunquam non anteponant, & ab hac tam religioni, quam Reipublicæ proficua ratione nullo reſpectu humano ſeſe ſinant dimoveri. Profecto ſi quis neceſſariis deſtitutus litteris illam Numinis ſententiam Oſeæ c. 4. v. 6. *Tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*, ex ore ſui Epiſcopi pertimeſcendam, litteratus autem ab eodem

Digitized by Google

certiſſimum ſui laboris fructum exſpectandum habet, quomodo non ii, qui ſacro ſtatui ſeſe mancipaturi ſunt; illico laborioſam ſemet neceſſariis diſciplinis imbuendi, atque adeo ſimul a vanitate & otio remotam vitæ rationem, ſeu ut ſupra jam memini, præclaros, qui a Doctrina plerumque naſcuntur, mores amplectentur. *Satagant* igitur, ut iterum Cl. Van-Eſpen verbis utar, Eccleſiæ Rectores, *quantum in ipſis eſt, Eccleſiæ optimos & meliores miniſtros dare; ſtudeant cognoſcere ſpiritum, doctrinam atque morum integritatem illorum, qui beneficio vacanti præfici poſſent. Inquirant, quinam inter Eccleſiaſticos virtute & ſcientia emineant; qui exemplo ſuo populum ædificent, quorum vitæ probitati fama publica & meliores teſtimonium perbibeant, qui dignitates non quærant, ac propterea magis quæri mereantur*. P. I. de Simonia c. IX. §. 8. *Æſtiment*, ut ait Sanctus Hormiſdas Epiſt. 25. c. 1. *pretium dominici gregis, & ſciant, quod meritum conſtituendi deceat eſſe paſtoris*, cui dicto ſubjungit laudatus Van-Eſpen l. c. §. 7. *ut ſciant, quam ſit grave peccatum accipere perſonas collatione beneficiorum, ex quo contingit impediri, quo minus Dominico gregi ea omnia bona, quæ dignior impendere potuiſſet, frequenter non impendantur, aut mala per digniorem avertenda ſæpius non avertantur*. Sit ipſis familiare illud Adriani VI. propoſitum: *Volo homines dare beneficiis, & non beneficia hominibus*, & ut cavet Auguſtinus *non eligant divitem contemto paupere inſtructiore atque ſaniore*. Epiſt. 167. n. 18. *Deponant* ſecundum ſynodi Tridentinæ Decretum Seſſ. 25. c. 1. de Reform. *omnem humanum erga fratres, nepotes, propinquos carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat*. Quantum certe cordi fuerit ſynodo Tridentinæ, ut ii, qui non tantum morum probitate, ſed & ſcientia digniores ſunt, præ aliis ad beneficia aſſumantur, ſatis etiam manifeſtant ejuſdem Seſſ. XXII. cap. 1. XXIV. c. 12. & 18. de Reformat. Atque hæc modo obſerventur ab Eccleſiæ Rectoribus, nullatenus pertimeſcendum eſt, ne ipſis & Eccleſiis idonei unquam miniſtri requiſito numero ſint defuturi. *Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi*. I. ad Cor. IX. verſ. 9. Minime autem omnium illis Rectoribus id pertimeſcendum erit, qui non tantum hos ſtimulos, ſed etiam

4. Subſidia ſcientiarum ac probitatis ſuo clero ſuppeditent. Cujuſmodi ſubſidia ſunt præcipue

1. *Seminaria Clericorum*. Id quod agnovit Auguſtinus, de quo ſcribit *Poſſidius* cap. 11. eundem, vix ac Epiſcopus factus eſt, ſeminarium clericorum exſtruxiſſe, ex quo ad varias Eccleſias viros adeo doctos & exercitatos mittebat, ut plures Epiſcopi excitati exemplo Auguſtini ſimilia exſtruxerint. Patet vero, ut plenus ſeminariorum fructus obtineatur, neque probatiſſimos diſciplinæ vigiles; neque eruditos Doctrinæ magiſtros; neque optimorum, quorum alii ad veram & virilem pietatem, alii ad genuinas & utiles diſciplinas conferre queunt, librorum adparatum; paucis! nullam occaſionem deeſſe debere, ut ibidem juxta Concil. Cabillon. II. c. 3. *& literæ & ſolertia diſciplinæ & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur, atque erudiantur tales, quibus merito dicatur a Domino*: VOS ESTIS SAL TERRÆ.

2. Talis (quam non nuda lex, ſed manifeſtatum omnibus verum Epiſcopi deſiderium, imo ejuſdem favor & auſpicia comitari debent) diſpoſitio, ut & hi qui in ſeminariis laudatis degunt, & illi etiam, qui extra ea ſeſe ad ſacrum miniſterium præparant, non tantum abſque difficultate & impedimento ſcholas publicas frequentare queant, ſed etiam ad eaſdem frequentandas urgeantur. Quidni enim Epiſcopus ea omnia, quæ in ſcholis publicis pro Religionis & Reipublicæ utilitate auditoribus ſuppeditantur, ipſe ejuſmodi diſpoſitione remote ſuppeditat? Loquitur Tridentina ſynodus, Seſſ. 23. c. 18. de erigendis ſeminariis; verum eadem ſynodus jam ſeſſ. 22. c. 2. de quocumque ad Eccleſias Cathedrales aſſumendo præter alia requirit: *ut ſcientia polleat, qua muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere, ideoque antea* IN UNIVERSITATE STUDIORUM *Magiſter, ſive doctor aut licentiatus* IN SACRA THEOLOGIA *vel* JURE CANONICA *merito ſit promotus, aut* PUBLICO ALICUJUS ACADEMIÆ TESTIMONIO *idoneus ad alios docendos oſtendatur*. Eandem legem S. Carolus, aliique Prælati ſtudiorum cauſa percipientibus Beneficiorum fructus, his verbis præſcripſit: UT VERE IN PUBLICO CELEBRIQUE GYMNASIO *Theologiæ* vel ſacris Canonibus ſtudeant, in concil. Mediol. I. C. 28. Conſentit quoque Praxis Romanæ Curiæ, quæ dum licentiam non reſidendi ſtudiorum cauſa concedit, hanc addit clauſulam: *Orator operam in aliqua* APPROBATA UNIVERSITATE STUDII GENERALIS, SEU GYMNASIO PUBLICO *ſtudio Theologiæ aut Decretorum actu operam navare tenetur*. Pyrrhus Corradus de diſp. I. I. 5. C. 6. Atque dum Academiæ, ut Morinus de SS. ordin. p. 3. Exerc. 13. c. unic. ſcribit; ſunt quædam ſtudiorum & ſcientiarum Emporia, in quibus doctrina perfectius, diligentius, ſplendidius, quam in collegiis & ſeminariis traditur; ab ipſis ſemper Epiſcopis adoleſcentes majoris capacitatis & ſpei ad univerſitates potius miſſos, quam in ſeminariis retentos; ac plerumque doctiores aptioreſque operarios & paſtores e collegiis Academicis, quam e privatis ſemina-

riis prodire obſervat cl. Van-Eſpen P. II. S. 1. Tit. XI. de ſemin. Cleric. C. 4. §. v. 25. & 26. Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ cuivis clericorum addiſcendæ ac ideo ſuppeditandorum ad id ab Eccleſiæ Rectoribus mediorum ſingularis neceſſitas jam ex iis, quæ §. 85. adducta ſunt, ſat clare opinor eluceſcit. Quibus omnibus conſideratis vix non concludere licet, id, ut generatim honorificus ac idoneus clerus numero ſufficiente adſit, in ipſa plerumque Rectorum Eccleſiæ cura eſſe poſitum. Cumprimis autem porro tria ad honorem cleroconciliandum contribuere mihi videntur; ſcilicet 1. ſi clerici, qui bonæ valetudinis, ſuis ſtudiis jam perfuncti, & ad curam animarum vel tradenda ſtudia apti ſunt, non ſolis miſſarum celebrationibus occupati circumire permittantur. 2. Si moribus corrigendi intra Eccleſiaſticas ædes ad correctionis finem detineantur. 3. Denique ſi ii, qui ſenio, miſeria, morbiſque confecti ſunt; ultima valetudinis, quietis ac ſpiritualis ſolatii ſubſidia in domibus ad id provide inſtructis queant obtinere.

Conf. cl. de Riegger L. 1. Decret. Tit. XIV de ætat. qualit. & ord. præfic. L. III. Tit. I. de vita & honeſt. Cler. Tit. V. de præb.

(*c*) Illuſtrabitur hoc in Tomo V. de Jure. conſiſtoriali.

(*d*) Epiſcopos jam plurimis Eccleſiæ ſe[illegible]s in rebus magni momenti conſilia Presbyterii adhibuiſſe, ſuo loco pluribus dicemus. Hic tantum generatim hanc attingimus veritatem: multum intereſſe & Eccleſiæ & Reipublicæ, ut Epiſcopi in adſciſcendis ſibi conſiliariis providum rectumque ſelectum faciant. Egregia tam pro Imperantibus intuitu conſiliariorum ſelectus, quam pro ipſis conſiliariis monita tradit Cl. de Martini in Jure civitatis hiſce verbis: *Neceſſe eſt cujuslibet inveſtigare inclinationes, atque affectus, ac propterea philoſophiam moralem excolere, quæ regulas artis conjectandi hominum mores ſuppeditat. Quod ipſum ceteris minoribus poteſtatibus faciendum incumbit, quæ ſæpe ab aliis inferioribus deceptæ decipiunt imperantem — conſiliarii — non proprias, non ſuorum opes vel potentiam aut dignitatem ſpectent, ſed ſalutem publicam; ab aſſentatione pariter ac inſolentia & factionibus ſint alieni, ea, quæ uſui eſſe videntur, exponant modeſte & ſine partium ſtudio, illudque curæ habeant, ut in deliberationibus adſint, ut loco dicant, ut modo.* Cap. 9. & 10. Hæc ſane monita ex illo univerſali, nempe naturali jure deſumpta etiam ad Jus Eccleſiaſticum, ad Eccleſiaſticos Imperantes, eorundemque conſiliarios ſuo modo pertinent. Enimvero ſicut in jure publico civili officia Imperantium circa Conſiliarios, & obligationes conſiliariorum explicantur, quin Principibus, aut eorum conſiliariis in mentem veniat id in ſui offenſionem ſumere, ita dum in Jure publico Eccleſiaſtico officia ſacrorum Antiſtitum circa conſiliarios & obligationes Conſiliariorum Eccleſiaſticorum exponuntur, certiſſime a nullo male accipietur. Et profecto quis ducet in controverſiam, num Epiſcopus rectiſſime agat, ſi ad normam hujus juris non alios in conſilia adhibet, quam viros virilis pietatis, religionis puræ, devotionis non ſimulatæ; viros non tantum externa decori obſervantes, ſed etiam intima honeſtate ac optima doctrina morum probatos, Viros ſolidæ & genuinæ ſcientiæ; Viros, qui nullatenus quæ ſua ſunt, ſed unice religionem, unice veritatem, unice non non impeditos bonæ cujuſvis cauſæ progreſſus, unice ſalutem, felicitatem & perfectionem omnium, & hinc quoque omnigenam viros dignos & bene meritos excitandi, ſuſtentandi, promovendique occaſionem quærunt; viros non juſtos ſine æquitate, non rigidos ſine eo, quod humanitas atque Charitas poſtulat; viros ab adulatione, a partium ſtudio, a factionibus alienos; viros nunquam per ſemitas incurvatas, & clancularias, ſed ſemper per viam rectam, atque apertam incedentes; viros prudentiæ & veri diſcretique Zeli pleniſſimos; viros conſtantes, & nulla ſtatus fortunarumque ſpe aut adquiſitione a bona parte dimovendos; Quis movebit dubium, num tales conſiliarii ad promovendam inter ſacerdotium & imperium concordiam ſint aptiſſimi, num ſub hujuſmodi conſiliariis futurum ſit, ut genuinum Eccleſiæ bonum, & verum bonum Reipublicæ paſſu per nullum inſidiatorem turbato ſimul amice progrediantur. Et quis denique non concludet, a talibus conſiliariis Epiſcopo non unquam quid futile, ſed ſemper ejus generis conſultum, atque verbo ſcriptove ſuppeditatum iri, quod ad ſuſtentandam authoritatem Epiſcopi tam firmum, quam ſuave ad amorem & timorem filialem erga Eum in omnium animis obtinendum, ſeu paucis ad roborandam apud omnes æſtimationem & reverentiam Epiſcopi maxime idoneum erit. Præcepta de bonis conſiliariis generatim etiam hæc dantur Eccleſiaſtici C. VI. v. 6. C. VIII. 20. 21. C. XXXVII. 7. uſque 21. *Multi pacifici ſint Tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille — cum fatuis conſilium non habeas: non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent. — Noli conſiliari cum eo, qui tibi inſidiatur, & a Zelantibus te abſconde conſilium — a conſiliario ſerva animam tuam. Prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas, & ipſe enim animo ſuo cogitabit: ne forte mittat ſudem in terram, & dicat tibi bona eſt vita tua, ut ſtet e contrario videre, quid tibi eveniat — Cor boni conſilii ſtatue tecum, non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri ſancti enunciat aliquando vera quam ſeptem circumſpectores ſedentes*

in

in excelſo ad ſpeculandum. Et in his omnibus deprecare altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera verbum verax præcedat Te, & ante omnem actum conſilium ſtabile. Et quantum boni impedire queant conſiliatores mali, nos porro docet sacra ſcriptura exemplo illorum, qui I. Eſdræ C. IV. & templi & urbis inſtaurationem impediiſſe referuntur.

(*e*) Ita enim inter alia Apoſtolus Paulus pro authoritate Epiſcopi & concordia Imperii & ſacerdotii conſervanda Tito ſcribit. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum non violentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum Doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere, ſunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores; maxime qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia; dixit quidam ex illis, proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam increpa illos dure, ut ſani ſint in fide. Non intendentes judaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium ſe a veritate, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia: confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam &c.* Et porro; *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum ſanum, irreprehenſibile, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur nihil habens malum dicere de nobis &c.* Porro: *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe &c.* porro: *Stultas autem quæſtiones & genealogias & contentiones & pugnas legis devita, ſunt enim inutiles & vanæ* &c. Conf. quoque Epiſtolam utramque S. Apoſtoli ad Timotheum.

(*f*) Id autem, quod Epiſcopi ſeſe ſpirituali animarum cura occupare debent, non obſtat, quo minus

1. *Suis domibus ſint bene præpoſiti*, imo, *ſi quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* I. ad Tim. C. III. v. 4. ſeq.

2. Quandocunque opus eſt, ſalutis Reipublicæ tanquam cives ſeſe impendant. Luc. XX. 19. & ſeq. Act. Apoſt. XXII. 28. XXV. 8. 10. 11. Præterea *nihil eſt notius* ait cl. Van-Eſpen ad Can. VIII. ſyn. ſardic. *quam jam pridem Principes in negotiis ſive ſtatum Eccleſiæ ſive etiam Reipublicæ tangentibus adhibuiſſe Epiſcopos in Conſilium, eoſque ad ſe pro cauſis urgentibus, & momentoſis evocaſſe, & apud ſe ſubinde retinuiſſe — — plurimos Sanctiſs. Epiſc. Princip. Conſiliarios fuiſſe, iiſque in Regimine ſui Regni adſtitiſſe legimus*; atque citatus Canon tum Epiſcopos tantum ab aulis Principum arcet, ſi non officium ſacerdotale, aut proximi ſalus eoſdem eo pertrahat. *Ex decreto* Concilii Toletani VII. & XIII. ad quod laudatus Van-Eſpen cit. loco provocat, *jubentur Epiſcopi accedere ad aulas Principum cauſa ſalutis alicujus, vel collectionis neceſſariæ, ſive pro quibuslibet ordinationibus Principis.*

3. Officia charitatis externam quoque proximorum felicitatem promoventia exerceant, juxta illud Chriſti: *in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*; & illud Apoſtoli Joannis: *qui habuerit* SUBSTANTIAM HUIUS MUNDI, *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus* VERBO, *neque* LINGUA, *ſed* OPERE. Ep. 1. C. III. 17. & ſequ.

4. Civilibus, veluti civilia ferunt *onera*, etiam commodis, ac animi corporiſque relaxationibus gaudeant; juxta ea, quæ ſuperius expoſui. Modo juxta monitum Divi *Thomæ* II. 2. q. 168. art. 9. *perſonæ loco & tempori* cuncta conveniant, modo non animo & affectu iis adplicato, ut S. Saleſius cavet ad vit. devot. p. 3. C. 31. a ſacro diſtrahant miniſterio, modo non vanitatis moveant ſuſpicionem, aut generatim mala exempla, & pernicioſum deinde contemtum ſecumferant.

Dum igitur univerſe Perſonas ſacras fini tantum ſpirituali, & maxime Hierarchas ſolummodo animarum ſaluti intentos eſſe debere dicimus, ea præcipue hic nobis mens eſt, ut ſecularibus ſeſe negotiis non ultro, & abſque neceſſitate immiſceant, quia *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit.* II. ad Tim. II. 4. Omnino inſpici merentur lati hanc eandem in rem Canones; veluti C. fin. de vit. & honeſt. Cleric. C. 1. uſque 9. ne Clerici vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant. C. 1. de Clerico venatore. Apud Grat. Diſt. LXXXVIII. & Can. 4. diſt. XCI. Trid. Seſs. XXII. C. 1. de Reformatione L. 41. Cod. de Ep. & Cleric.

Conf. Cl. Van-Eſpen P. I. Tit. II. & Cl. de Riegger L. 3. Decret. Tit. I.

C A-

CAPUT VIII.

De iis, qui in Regimine Eccleſiæ ejuſdem Rectoribus vicariam, & adjutricem præſtant operam.

§. 202. Inter omnes, qui in Regimine Eccleſiæ vicariam, & adjutricem præſtant operam, primi conſiderandi veniunt Romano Pontifici in ejuſdem juribus per univerſam Eccleſiam explicandis adſiſtentes. Et hi quidem in Cardinales, legatos Pontificios, judices Papales & delegatos ſedis Apoſtolicæ diſpeſcuntur (*a*).

(*a*) Omitto huc referre, & repetere varios Curiæ Romanæ ſenatus. Enimvero hi ipſi potiſſimum a Cardinalibus diriguntur, & jam ſupra §. 51. a me ſunt expoſiti. Neque etiam omnes omnino ſacrorum Antiſtitum officiales ad *ipſum Eccleſiæ Regimen* vicariam & adjutricem operam præſtare, proprie dici queunt.

§. 203. Nomen *Cardinalis* quondam competebat cuivis Miniſtro certæ Eccleſiæ, cui ille ita præpoſitus erat, ut eidem perpetuo, ſicut *cardo*, fixus ac immobilis adhæreret (*a*). Deinde vero tributum eſt ſoli Romani Pontificis primario ſenatui, quem ipſum initio clerus Romanæ Eccleſiæ cum Vicinis Epiſcopis jam ab antiquo & ad eligendum S. Pontificem & ad ejus Conſilia in negotiis majoris momenti & ad aſſiſtendum eidem divina celebranti adhibitis, (*b*) poſtea ſoli hi Epiſcopi excluſis aliis poteſtatem eligendi Pontificis obtinentes, (*c*) denique tres claſſes Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conſtituere cæperunt (*d*). Et quidem Pius V. P. interdixit, (*e*) ne poſthac ullus alius Cardinalis titulo uteretur.

(*a*) Opponebantur igitur tunc Cardinalibus illi, qui tantum jure *fiduciario*, & nomine adminiſtratorio quibuſdam Eccleſiis ad tempus præficiebantur. vid. Diſt. 71. Can. 5. Clauſ. VII. Q. I. Can. 41. Cauſ. XXI. Q. I. c. 5. & 6. & Conf. Muratorius Diſs. de origine Cardinalatus; Antiquit. Ital. med. ævi, Tom. V. pag. 156. Thomaſſinus diſc. Eccleſ. Tom. I. L. 2. c. 115. Reverendiſs. Abbas Rautenſtrauch in Inſt. Jur. Eccleſ. §. 239.

(*b*) Conf. Cl. de Riegger L. 1. Decret. Tit. XXX. §. 221. Nov. Edit.

(*c*) Quamquam Nicolaus II. in ſuo decreto dicat: *Statuimus, ut obeunte hujus Romanæ Univerſalis Eccleſiæ Pontifice, imprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſime ſimul de electione tractantes, mox ipſi Clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accedat*; falluntur tamen ii, qui inde volunt probare Presbyteros Cardinales cum Epiſcopis Cardinalibus jam ex hac conſtitutione Pontificem elegiſſe; Enimvero Canon I. Concilii Romani, in quo illud Nicolai decretum editum eſt, negotium electionis aperte ad ſolos Epiſcopos Cardinales reſtringit; & *Clericos Cardinales* tantum præ ceteris Eccleſiæ Romanæ Clericis ad conſenſum Electioni præbendum adhiberi cupit Pontifex; Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 241.

(*d*) Id ipſum, ut Cardinales Epiſcopi negotium Electionis ſibi proprium haberent, reliquum Romanum clerum tam nobiliorem quam inferiorem offendit. Quapropter Alexander III. in numerum Cardinalium etiam Sacerdotes quoſdam præcipuæ dignitatis, præcipuoſque Eccleſiæ Romanæ officiales cooptavit. Conf. Onuphr. Panvinius apud Mabillonium Comment. in Ordin. Rom. pag. 115. Tom. II. Muſei Italici, qui quidem inde falſo concludit, demum ab Alexandro III. Epiſcopos Cardinales collegio Cardinalium additos fuiſſe. Et denique etiam (incertum quidem, ſub quo Pontifice) Clero inferiori ſatisfactum, quando in numerum Cardinalium adlecti quoque ſunt Diaconorum Romanorum præcipui, ſeu *Regionarii*, indi dicti, quod eorum Diaconiæ per 14. Regiones *Urbis* diſtributæ eſſent. Diaconiæ illæ erant pia loca ad modum hoſpitalium, & cum oratoriis conjuncta. Sed exolevere id genus hoſpitalia & ſolis oratoriis nomen Diaconiæ manſit. Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 243.

(*e*) Retinebant nempe uſque ad Pii V. conſtitutionem titulum Cardinalium Canonici Eccleſiæ Compoſtelanæ, Mediolanenſis, & Neapolitanæ. Conf. Cardinalis de Petra ad Conſtit. Eugenii IV. Tom. 4. n. 6. & 7.

§. 204. Præcipua de Cardinalibus notanda redeunt ad hæc I. ad Eorum Proedriam (*a*) II. ad veſtitum (*b*) III. ad honorum titulos (*c*) IV. ad munia. (*d*) V. ad Privilegia (*e*) VI. ad dotes (*f*) VII. ad numerum (*g*).

Digitized by Google

(*a*) In Concilio Romano anni 993. ſub Joanne XV. & Claromontano anno 1059. ſub Urbano II. Epiſcopi Cardinales non ante Epiſcopos ordinatione ſeniores ad ſubſcribendum admiſſi ſunt; nec prius, quam ſub Innocentio IV. obtinebant Seſſionis honorem ſupra Epiſcopos; ſed Epiſcopi Cardinales poſt alios Epiſcopos prius ordinatos, & reliqui Cardinales poſt omnes Epiſcopos ſedebant. Multa hæc ſedendi ratio multas excitavit lites, & in ipſo adhuc Concilio Tridentino Epiſcopis Hiſpaniæ diſplicuit. Conf. Thomaſſin. P. I. L. 2. c. 113. & 114. Pallavicini L. XXI. cap. 4. n. 7. Id autem maxime turbabat Bartholomæum a Martyribus Archiepiſcopum Bracarenſem, quod in Congregatione coram Pontifice habita Cardinales ſedentes & tectos, Epiſcopos autem ætate doctrina & virtute graves nudato capite ſtantes conſpiceret; quapropter etiam ſoluto conventu Pontificem alloquebatur, qua id con cientia ferret, & cur non conſideraret dignitatem Cardinalium *humani*; Epiſcopalem *divini* inſtituti, atque Epiſcopos Romani Pontificis *fratres* eſſe; & reſponſis Pontificis ad longævum uſum provocantis non contentus, hoc, tanquam abuſum, & prohibitum a Principe Apoſtolorum dominatum in Clero debere aboleri reponebat. Tantum abeſt, ut ſanctiſſimus Pontifex Pius IV. id male acciperet, ut potius fateretur, ſibi veritatem eſſe dictam, & altera die Epiſcopis ſedes aſſignaret: Cauſas Proedriæ Cardinalibus tributæ potius verbis P. Zallwein, quam noſtris, explicandas duximus: *Quando incæpit creſcere authoritas Pontificis, quam ſeculis X. XI. & XII. immenſa accepiſſe incrementa aliunde ſcimus, crevit etiam authoritas Cardinalium; intererat enim Pontificis pro ſtabilienda ſua authoritate, ut ſuis Cardinalibus novos honorum cumulos affunderet, & authoritatem Metropolitarum ſuo modo deprimeret, — & cum Pontifices non raro ipſos ſpectatiores in ſuos Cardinales aſſummerent, facile hi adduci potuerunt, ut incremento dignitatis & authoritatis Cardinalitiæ ſuffragarentur*. Tom. IV. Quæſt. 2. c. 2. §. 1. Vid. quoque Nicolaus de Clemangiis Tract. de corrupto Eccleſiæ ſtatu Edit. Hermanni von der Hardt Cap. 13. Id autem, ut Cardinalibus, veluti quidam volebant, poſt Reges ante horum eorumdem filios & alios omnes quacumque civili dignitate inſignitos primus locus concedi debeat, neque *divino* ſane poterit neque *humano Eccleſiaſtico* jure evinci. Enimvero ex eſſentia atque natura Religionis nulla *civilis prærogativæ* neceſſitas, ſed tantum in ipſo ſacro miniſterio primas Religionis miniſtris eſſe partes; & extra illud etiam iiſdem venerationem (quæ tamen abſque civili ante alios prærogativa facile conſiſtet) tribuendam eſſe intelligitur. Atque quod poſitivum jus attinet, tam ex doctrina quam exemplo Chriſti & Apoſtolorum, quorum certe ſumma primaque dignitas obtutu Religionis fuerat, perſpectum habemus, nullibi fidelibus neceſſitatem *civiles prærogativas* perſonis Eccleſiaſticis concedendi eſſe impoſitam, bene vero his omnem externi faſtus cupiditatem, ac proinde omnes ejuſmodi *prætenſiones* interdici. Inde, quod ſacerdotium *Regale* dicatur, aut nihil, aut nimium probant adverſarii. *Nihil*; ſi genuinam ſectentur illam *ſignificationem*, qua, ut jam ſupra ex ipſo Canonico jure adnotavi; *ſacerdotium regale dici* debet. *Nimirum*; ſi inſuperhabitio juris Canonici textu, & inſuperhabitis, quod plus eſt, Chriſti Apoſtolorumque verbis ab exemplis *ſacerdotio qua tali* etiam in *temporalibus & civilibus* quid *regale* competere arbitrantur, eum ita nempe ſacerdotum cuilibet, etſi non Cardinalis ſit, eædem ac Regibus civiles prærogativæ, atque ut quid contra proprium adverſariorum ſyſtema ſecuturum dicam, præ ipſis etiam Cardinalibus qui non ſacerdotes ſunt, deferendæ eſſent. Profecto neque veteres ſummos Pontifices civilem præ Imperatoribus & Regibus prærogativam prætendiſſe nos Hiſtoria docet. Quando igitur Jus divinum adverſariorum adſertioni nullo modo patrocinatur, multo minus firmum ſibi deprehendent præſidium in quodam humano jure, niſi id in hac illave civitate, ipſa hujus illiuſve civitatis arbitraria conceſſione nitatur. Utpote dum juxta Juris publici univerſalis dictamen civilibus alieni territorii juribus ac prærogativis abſque naturalis æqualitatis læſione præjudicari nequit, neque alienum territorium ejuſmodi præjudicia agnoſcendi obligatione tenetur*. Verum cuncta hæc tantummodo adverſariis dicta ſunto. Ipſe enim ceterum S. R. E. Cardinalibus, quamvis eos Regum filiis & S. R. I. Electoribus non præferam, tantum tamen reverentiam ab omni Catholicorum exhibendam eſſe defendo, quantum & utillitatis & ſplendoris univerſali Eccleſiæ ab iiſdem advenire eſt notiſſimum. Conf. cl. de Riegger L. I. Decret. Tit. XXIX. §. 502. uſque 535. Conf. quoque Zach. Zwanzig Theatr. præced. P. I. Cap. XXV. Thomaſſinus l. c. & Spondanus ad a. 1561.

(*b*) Veſtitus Cardinalium ab alio ſeſe diſtinguit 1. veſte & galero purpureis; inde ab Innocentio IV. 2. purpureo capitis tegumento minore pro iis ceremoniis, quibus galeri uſus non eſt. Id quod conceſſum eſt benevolentia Pauli II. qui etiam indulſit, ut panno rubro equos & mulos, quibus inſiderent, ſternere liceret. 3. In ornamentis Pontificialibus uti *Mitra* &c. etſi Epiſcopi non ſint. Singulare eſt, quod Cardinales Religioſi quidem pariter pileum rubrum ex conceſſione Gregorii XIV. acceperint, & etiam in forma ſui veſtitus cum reli-

reliquis Cardinalibus conveniant, in ipſo tamen hoc veſtitu retineant colorem ſui ordinis; ſolo caputio excepto, quo rubro utuntur. Reverendiſſ. Rautenſtrauch l. c. §. 347.

(c) Audiebatur adhuc in Synodo Toletana VII. *Epiſcopalis Eminentiæ divina authoritas*. Verum Urbanus VIII. Titulum *Eminentiſſimi* ita proprium fecit Cardinalibus, ut ſimul prohiberet, ne idem poſthac ab alio, præterquam ab Eccleſiaſticis Germaniæ Electoribus ac Magiſtro Hoſpitalis Hieroſolymitani uſurparetur. Quid quod dein conſtitutione Innocentii X. ita extollebatur hic Titulus, ut titulos quoque alios nobilitatis, ſanguinis, & familiæ abſorbere cenſeretur? Reverendiſſ. Rautenſtrauch. l. c. §. 348.

(d) Munia Cardinalium alia ſunt ſede Pontificia repleta; alia ſede vacante.

Sede repleta

1. Sunt conſiliarii ſummi Pontificis in regimine Eccleſiæ & ſtatus Romani; atque hinc ex Cardinalibus Pontifex format *Conſiſtorium*, & cauſæ eo pertinentes cauſæ *conſiſtoriales* vocantur. Id tamen non ita intelligendum eſt, quaſi in iis, in quibus cardinalium conſilia audire debet Pontifex, ſine eorundem conſenſu nihil decidere queat; neque Juramentum Pontificis non niſi generalem continet promiſſionem, quod miniſterium ſuum ex conſilio Cardinalium geſturus ſit. Quod ſane minime efficit, ut cardinales proprie unum cum Pontifice corpus ad Eccleſiam regendam conſtituant.

2. Variis præſunt congregationibus, de quibus ſupra §. 51. dicebamus.

3. Curant negotia variorum Regnorum & Principum, tanquam *Protectores*. Protectionum harum origo inde a Sec. XV. & quidem occaſione reſervationum Pontificiarum, per concordata limitatarum, ut ſcilicet his limitibus obſervandis Protector nationis invigilaret. Protectorem nationis germanicæ deſignat Imperator. Conf. Capitulatio Joſephi II. Imp. art. 23. §. 4.

4. Jure conſuetudinario vocantur etiam ii, qui non ſunt Epiſcopi, ad generales ſynodos, & voto deciſivo gaudent. Conf. ſupra §. 147.

Sede vacante

1. Gerunt imperium civile & politicum in omnibus Eccleſiæ Romanæ terris; & quidem ſingulis diebus tres ſemper Cardinales, unus *Epiſcopus*, alter *Presbyter*, tertius *Diaconus* ſunt locum tenentes.

2. Gaudent jure eligendi Pontificem ſalvis juribus Summorum Principum circa Excluſivam (§. 109.) Uſu & conſuetudine etiam Cardinales Coronæ a Pontificatu arceri dicuntur. Conſ. Haberlini Romanum Conclave. pag. 151.

Non autem Cardinales etiam in jura Primatus & juriſdictionem Pontificis qua capitis Eccleſiæ, utpote quæ *perſonaliſſima* eſt, ſuccedunt; Conferantur conſtitutiones Gregorii X. in Concil. Lugd. c. 3. de Elect. in 6. Clementis V. *Clement.* 2. de Elect. Pii IV. Conſtit. quæ incipit: *in eligendis* Clementis XII. Conſtit *Apoſtolatus officium*. Quapropter etiam poſt mortem Pontificis illico frangitur annulus Piſcatoris, & nec Brevia, nec Bullæ expediuntur.

(e) Privilegia Cardinalium ſunt hæc

1. In ſuis titulis exercent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, etſi tantum ſint Presbyteri, aut Diaconi cap. 24. de Elect. cap. 11. de Maj. & Obed. Conſtitut. Sixti V. 55. *Religioſa*.

2. Modo ſint Presbyteri, poſſunt ſuis in titulis conferre Tonſuram & minores ordines Perſonis ejuſdem Eccleſiæ ſervitio addictis. Benedictus XIV. Conſtit. *Ad audientiam* §. 16.

3. Si non expreſſa eorum fiat mentio in generali ſtatuto, interdicto, aut ſuſpenſione; in hiſce non comprehenduntur; c. 4. de ſent. Excom. in VI.

Quæ octoginta novem Cardinalium Privilegia refert Manfredus, apud eundem, per nos licet, videri poſſunt; Eorum quidem non omnia ſolidis niti fundamentis, imo uſu ipſo multa non probari, eſt quam certiſſimum. Neque exiſtimetur quæſo certum eſſe, ad condemnandum Cardinalem, ſi ſit Cardinalis Epiſcopus, 72. ſi ſit Cardinalis Presbyter, 42. ſi ſit Cardinalis Diaconus, 27. teſtes requiri; cum cauſ. II. qu. 4. can. 2. ſit ex mercibus Iſidori; & ex ipſo uſu contrarium demonſtrat Lucius Ferraris in Biblioth. can. verb. *Teſtis*. Ita & Diſt. 97. can. 3. unde deducunt, Cardinali aſſerenti ſibi aliquid a Pontifice commiſſum eſſe, plenam fidem deberi, potius contrarium probat.

(f) Conf. Concil. Trident. Seſſ. 24. & 25. cap. 1. Porro Conſtit. Sixti V. *Poſtquam verus* §. 12. & 18. Julii III. Conſtit. 22. Sed in omnibus iſtis obſervandis non adeo anxia eſt ætas noſtra, ait Reverediſſ. Rautenſtrauch l. cit. §. 252.

(g) Per Sixti V. conſtitutionem paulo ante citatam numerus Cardinalium antehac varius, exemplo 70. Seniorum in ſynagoga & diſcipulorum Chriſti, ad ſeptuagenarium fixus fuit, ita, ut eſſent *ſex* Cardinales Epiſcopi, *quinquaginta* Presbyteri, *quatuordecim* Diaconi; qui omnes hodie a Pontifice creantur fruſtra obnitentibus Patribus Concilii Baſileenſis Seſſ. XXIII. Eccleſiæ cathedrales, quibus ſex Epiſcopi Cardinales præſunt, numerantur iſtæ 1. *Oſtienſis* cui juncta *Veliterna* 2. *Portuenſis*, cui juncta *S. Rufinæ*. 3. *Albanenſis*. 4. *Sabinenſis*, 5. *Tuſculana*, 6. *Præneſtina*. Atque

hinc patet Cardinalem, etſi ceteroquin ſimul ſit Epiſcopus, niſi tamen ſit Epiſcopus in una harum Eccleſiarum, in claſſem *Cardinalium Epiſcoporum* computari non poſſe. Cl. de Riegger l. c. §. 223. & generatim Jacob. Cohelle de notitia Cardinalatus.

§. 205. Antiquiſſimis jam temporibus quidam a Pontificibus ablegati ſunt, ut aut in Conciliis generalibus (*a*) aut in negotio aliquo peculiari (*b*) aut in aulis Principum (*c*) pro Eccleſia, Religione, & Juribus Primatus excubarent.

(*a*) Ob Pontificiam Proedriam Præſidii & ſuffragii in Conciliis Generalibus (§. 148.)

(*b*) Ita Julius ad orientales in cauſa S. Athanaſii; Liberius ad Conſtantium Imp. pro nova ſynodo Aquilejæ celebranda; Zozimus ad ſynodum Carthaginenſem ob adpellationes tranſmarinas legatos miſere.

(*c*) Id quidem non invaluit ſtatim poſt ſedem Imperii Bizantium translatam, uti exiſtimat Hincmarus Rhemenſis Ep. 3. c. 33. Edit. Mogunt. ſed poſt tempora Concilii Chalcedonenſis, & præcipue poſt Juſtiniani Victorias de Gothis relatas. Quamquam, interrupto iterum per hæreſim Iconoclaſtarum inter Pontifices & Imperatores nexu, interruptæ etiam hujuſmodi legationes, uſque dum re Romanorum per Carolum M. compoſita Pontifices in aula Francicorum Imperatorum legatos, ſeu Reſponſales habere cæperunt. Dicebantur *Reſponſales*, quod reſponſa, ſeu juſſa Pontificum exequi debebant. Petrus de Marca L. V. cap. 16. Thomaſſinus Diſc. Eccleſ. T. I. L. 2. c. 117. Van-Eſpen P. I. Tit. XXI. Num Pontifices modum habendi legatos acceperint a moribus Romanorum, apud quos ſcilicet legati erant alii *municipales* ad Præſidem Provinciæ, vel Præfectum Prætorium miſſi; alii *provinciales*, miſſi a provincia ad Principem, vel ad ſedem præfectorianam in caſibus ſubito emergentibus, vel etiam ab ipſa republica ad alias gentes; alii denique *legati cum jurisdictione*, qui a ſenatu cum Proconſule mittebantur, ut in provinciis, quarum adminiſtratio ipſis demandabatur, vices ſenatus Romani ſupplerent, & inſtar ſpeculatorum eſſent, de hoc diſputare inane puto. Profecto veteres Pontifices, ut recte ait Reverendiſs. Rautenſtrauch non imitationi Reipublicæ Romanæ, ſed juribus Primatus conſervandis operam dedere; conferatur tamen de Marca L. V. cap. 1. Zallwein in Jur. Eccleſ. Tom. IV. pag. 131.

§. 206. Non tamen prius; quam falſæ Iſidori Decretales Romano Pontifici juriſdictionem cum ſingulis Epiſcopis in horum Diœceſibus concurrentem tribuebant, legati noſcebantur talis omnino conditionis, qualis hodie I. Legatos a latere (*a*) II. Legatos natos (*b*) III. Legatos miſſos (*c*) eſſe novimus (*d*).

(*a*) Dicuntur *a latere*, quia ex numero Cardinalium, atque igitur a latere Pontificis vel ad aulas Principum & in gravibus negotiis mittuntur, vel in ipſas Romano ſtatui ſubjectas Provincias cum jurisdictione ablegantur. Nonnunquam etiam legati, qui Cardinales non ſunt, *charactere legati a latere* ornantur; uti *viſitatores Apoſtolici*, qui quidem ſæpius Jus Principum legatos Pontificios interdicendi ſuſcitarunt. Conf. diſcurſus Politico-Canonicus de recuſatione Viſitatoris Apoſtolici cenſuris Eccleſiaſticis, ac interdicto haud facile vindicanda, ſcriptus, cum Cæſar Creſcentius de Angelis a Clemente XIII. conſtitutus Viſitator Apoſtolicus Corſicam intrare tentaret. Jura legatorum a latere dicunt eſſe hæc:

1. Habere eos poteſtatem a die egreſſus ſui ex urbe uſque ad diem reditus in quacumque provincia abſolvendi percuſſores clericorum,

2. Cognoſcendi de cauſis exemtorum

3. Confirmandi electiones Epiſcoporum, atque exemtorum.

4. Conferendi beneficia in provincia, in qua munere legati funguntur, pari cum Ordinario authoritate.

5. Legatorum inferioris gradus officium ſuſpendi, quamdiu adeſt legatus a latere; item tamdiu quoque

6. nec Patriarchas quidem poſſe jubere ſibi crucem præferri,

7. nec Epiſcopum poſſe populo benedicere; & deferre veſtes juriſdictionem ejus ordinariam indicantes.

Conf. cap. 3. cap. 4. de offic. legati cap. 23. de privileg. cap. 36. de elect. in 6. cap. 1. de offic. legat. in 6. cap. 31. de præb. in 6. ſed hiſce & aliis canonibus juris communis, per concordata, & per ſynodum Tridentinam, & deſuetudine limites poſiti ſunt. Conf. cap. 4. pr. de offic. legati in 6. cap. 2. de præb. in 6. Cl. Barthel adnot. ad jus can. Tit. de offic. legati.

(*b*) Legati nati ſunt ii, qui dignitatem legati Pontificii vi privilegii cuidam Eccleſiæ vel Provinciæ indulti, adeo ut, ſimul ac huic præficiuntur, veluti naſcuntur legati: ceu Archiepiſcopi Colonienſis, Salisburgenſis, Strigonienſis,

Digitized by Google

ſis, Pragenſis, Rhemenſis, Toletanus, Gneſnenſis, Piſanus &c. Ejuſmodi legationem perpetuam inde ab Urbano II. ſibi vendicat etiam Rex utriuſque Siciliæ in ſuo Regno ſub nomine Monarchiæ Siculæ; fruſtra obnitente Baronio ad a. 1097. n. 18. Tom. XI. qui Tomus propterea juſſu Philippi III. Hiſpaniæ Regis igni tradebatur. De litibus deſuper inter ſedem Romanam & Regem Siciliæ ortis, atque datis redditiſque ſcriptis Conf. Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 304. Ceterum legati nati ſurrogati ſunt in locum *vicariorum ſedis Apoſtolicæ*, quo nomine præcipui quidam Metropolitæ a Romanis Pontificibus conſtituebantur, ut eorum vices per provincias Romano Patriarchatui ſubjectas in exercendis Juribus Patriarchalibus agerent; cujuſmodi vicarii exemplum primum in Archiepiſcopo Theſſalonicenſi nobis hiſtoria præbet. Conf. de Marc. Conc. Sac. & Imp. L. V. cap. 23. & ſequ. Thomaſſinus P. I. L. I. cap. 18. 30. 31. ſequ. Legatorum natorum authoritas poſt ſec. 10. adeo deminuta eſt, ut præſente legato miſſo juſſa ſit quieſcere. Vid. c. 1. & 8. de officio legati; videlicet ea de cauſa, quod videbant Pontifices, eos magis Principum, in quorum Provinciis ſuas dignitates habebant, & a quibus nominabantur, quam Romanorum bono eſſe addictas; Conf. Van-Eſpen J. E. U. P. I. Tit. XXI. cap. 2. §. 14.

(*c*) Cauſa Nuntiorum Apoſtolicorum frequentius miſſorum cum paulo ante relata cauſa diminutæ authoritatis legatorum natorum eadem eſt. Hodie tamen horum nuntiorum jura non ex jure Decretalium, ſed potius ex Decretis ſynodi Tridentinæ, concordatis Nationum, & uſu ac moribus intelligenda ſunt; ſic nequidem cauſas Eccleſiaſticas in prima inſtantia, cauſas vero civiles prorſus non cognoſcere queunt. Abrogatæ etiam procurationes & ſubſidia legatis præſtandæ; non obſtante jurejurando Epiſcoporum de legatis ſedis Apoſtolicæ in eundo & redeundo honorifice tractandis & adjuvandis: quod ſcilicet intelligendum, quantum in uſu eſt. Et ſpeciatim in Germania noſtra in menſibus, quibus collatio beneficiorum Ordinariis ſervata eſt, poteſtatem cum Ordinariis concurrentem, aut Jus præventionis, aut jus concedendi exſpectativas, aut confirmationes Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Exemtorum, aut collationes beneficiorum Pontifici reſervatorum aliaque adverſus Germaniæ concordata ſibi vendicare nequeunt. Quod ad jura autem ab hujuſmodi legatis communiter exerceri ſolita adtinet, præter hoc, quod ad ſimilitudinem legatorum ab aliis Imperantibus miſſorum, amicitiæ ac pacis inter Pontificem & Reges conſervandæ cauſa in Aulis & comitatu Principum verſentur, atque igitur variis juribus hoc etiam ex capite conceſſis gaudeant, reliqua eorundem jura præcipua hæc ſunt; impertiri indulgentias non plenarias; elargiri quaſdam diſpenſationes; nonnulla juramenta relaxare, a cenſuris ſua in Provincia abſolvere; delegationibus Pontificiis fungi; cognoſcere de cauſis Eccleſiaſticis in ſecunda & ulteriori inſtantia, (ſi non etiam hoc contraria Provinciarum inſtituta prohibeant, veluti in Moguntina, Pragenſi, aliiſque Diœceſibus ac Provinciis). Ceterum in Germania datur optio ab Epiſcoporum ſententiis definitivis, aut ad Archiepiſcopum, aut ad curiam, aut ad Nuntios Apoſtolicos appellandi. Reverendiſſim. Rautenſtrauch l. c. §. 307. & ſeq. de iis, quæ in Decret. circa legatos conſtituta ſunt. Conf. quoque Florentis Tractat. ad L. I. Decret. Tit. XXX. de off. legati.

(*d*) Quorumcumque legatorum jura nequeunt eſſe ejuſmodi, quæ obſtante jure divino tam naturali, quam poſitivo aut jura Principum & ſalutem rerum publicarum, aut primigeniam Epiſcoporum poteſtatem, & ſalutem Eccleſiarum particularium vel minimum offenderent. Conf. Concil. Trid. Seſſ. XXII. C. 7. & Seſſ. XXIV. c. 20. de reform. Quemadmodum nempe ipſe Pontifex nunquam, & nequidem indirecte civilibus regnorum, ſeu publicis ſeu privatis negotiis, jure ſeſe immiſcere poteſt, quemadmodum idem tantum unitatem conſervandi, non vero juriſdictionem Epiſcoporum in unitate manentium turbandi cauſa adeſt, ita neque ii, qui perſonam ejuſdem præſeferunt, alterutra ex parte ſibi plus arrogare queunt. Sed & legati Pontificii principum, in quorum regna mittuntur, conſenſum expetendum, ſuorumque mandatorum articulos iiſdem antea exhibendos habent. Id quod neminem, qui ſtabilita ſuperius jura Principum circa ſacra in mentem revocat, turbare poteſt. Conf. S. Bernardi Epiſt. 290. item Epiſt. Friderici Imperat. ſub med. ſec. XII. ad Adrianum IV. Pontif. apud Van-Eſpen P. I. T. XXI. §. 4. Conf. quoque de Marca L. V. §. 56. & Cl. de Riegger l. c. §. 536. uſque 549.

§. 207. Ubi de judiciaria Eccleſiæ poteſtate in Tomo ſequente tractabimus, ibidem plenior quoque notio dabitur tam de judice ordinario, cui juriſdictio ratione officii competit, quam de judice delegato, qui juriſdictionem aut ab *homine* aut ab ipſo *jure* tantummodo ſibi commiſſam habet. Noſſe interim, quinam judices ordinarii, quinam delegati dicantur, ſufficit ad intelligendam originem judicum delegatorum *Papalium*, quorum ſcilicet neceſſitas tum emerſit, quando frequentia

recurſuum & adpellationum ad ſedem Romanam adeo crevit, ut & ad difficultatem itineris Romani relaxandam partibus, & in aliquod ſaltem ſolamen Principibus ac Epiſcopis illud ægre ferentibus concedendum a *Pontifice* judices delegari, ſeu ut ajunt *judices in partibus* conſtitui debuerint. Quibus dein acceſſere *delegati* ſedis Apoſtolicæ *legales*, quales nempe potiſſimum ad exemptiones coarctandas lex Concilii Tridentini ipſos Epiſcopos ita eſſe voluit, ut ii ſaltem tanquam delegati ſedis Apoſtolicæ contra exemtos procedere queant (§. 194.) (*a*).

(*a*) Seſſ. IV. Cap. 3. de Reform. Seſſ. XXIV. Cap. 4. de Reform. Seſſ. XXV. Cap. 4. de Reform. &c. Conf. Fleurii Diſſ. in Hiſt. Eccleſ. VII. §. 7. Van-Eſpen. P. III. Tit. VIII. c. 1. Berthel. in annot. ad univ. Jus Can. ad Tit. de off. & Poteſt. jud. delegati.

§. 208. Qui Epiſcopos in cura Diœceſeos, & in ſacro ibidem regimine ſublevant, generatim ſunt ii omnes, qui vel ex *diſpoſitione canonum* (*a*) vel *ex mero mandato Epiſcoporum* (*b*) eorundem vices in actibus ſeu *ordinis* ſive *juriſdictionis* obeunt.

(*a*) Vocantur iſti *Vicarii nati* C. 1. de offic. Archidiac.

(*b*) De hiſce *vicariis datis* vide C. 1. de offic. vicar. in 6.

§. 209. Non immoramur Vicariis Epiſcoporum in iis, quæ ad ordines pertinent; Olim Epiſcopi præcipue hiſce in functionibus *Archipresbyteros* adhibebant (*a*). Addebantur exeunte ſeculo tertio Chorepiſcopi (*b*) & denique Epiſcopi titulares, ſeu in partibus, tanquam Vicarii Epiſcoporum in Pontificalibus ſeu *ſuffraganei* admittebantur (*c*).

(*a*) Archipresbyter, Protopresbyter, id eſt: primus presbyter apud veteres dicebatur ille, qui cæteros ætate ordinationis ſuperabat. Nov. 123. cap. 3. Nequaquam tamen Archipresbyteri ſolummodo ad actus ordinis, quos poterant, Epiſcopi loco exercendos accipiebantur, ſed etiam præerant clero tanquam ſuperiores; ac ſpeciatim curam eorum habebant, qui publicam ſubibant pœnitentiam Cap. 1. 2. 3. de offic. Archipresb. Aucto Cleri & fidelium numero præter *Archipresbyterum urbicarium* ſeu urbis Epiſcopalis, *Archipresbyteri rurales*, qui *Decani rurales* hodiedum adpellantur, conſtituti ſunt. Cap. 4. & ult. eod. Ceterum fere omnia ſolo titulo ſuperſtite in hoc officio mutata ſunt, & quidem *Archipresbyteri urbani* munia ut plurimum Decanus Cathedralis Eccleſiæ ſuſtinet. Reverendiſſ. Rautenſtrauch, l. c. §. 568. Cl. de Riegger L. III. Decret. §. 258. & meus Ord. Princip. Juriſpr. Eccl. P. II. §. 180.

(*b*) A Græca voce χώρα, quaſi Epiſcopi ruris vel pagi quandoquidem in vicis & pagis Epiſcopalia munia minoris momenti vice Epiſcopi obibant. Lites de ætate, ad quam eorundem origo referenda ſit, vide apud Berti de Theolog. Diſcipl. L. 36. c. 10. Lis autem illa, num ii fuerint veri Epiſcopi conſecrati, num tantummodo Presbyteri, facile media via evitatur, videlicet dicendo, eorundem quoſdam Epiſcopos, quoſdam non niſi Presbyteros fuiſſe. Conf. meus Ordo Princip. Juriſpr. Eccleſ. P. II. §. 182. not. e. f. g. Et univerſe de juribus illorum dicendum eſt, ea varia & ab Epiſcoporum arbitrio dependentia fuiſſe. Abrogati ſunt medio circiter ſeculo X. vid. Petrus de Marca, Lib. II. Cap. 13. Bingham, Lib. II. Cap. 14.

(*c*) Eodem tempore, quo a Latinis quædam orientis provinciæ Saracenis ereptæ ſunt, etiam Epiſcopatus ibidem partim veteres reſuſcitati, partim novi erecti fuerant. Pulſis autem denuo latinis nil niſi ſpes eaſdem terras eoſdemque Epiſcopatus recuperandi remanſit. Cujus ſpei gratia Epiſcopatuum illorum vacante aliquo Epiſcopos nominare, eoſque *Epiſcopos in partibus* adpellare in hanc uſque diem pergebant. Et cum vicarii Epiſcoporum in Pontificalibus non alii quam Epiſcopi conſecrati eſſe queant, hujuſmodi Epiſcopi titulares ab Epiſcopis Diœceſanis, ut ipſorum vice Pontificalibus defungerentur, inde a Seculo XIII. ſunt aſſumti. Vid. Cap. 5. de Elect. in Clement. Concil. Trident. Seſſ. XIV. Cap. 2. de Reform.

§. 210. Ea, quæ juriſdictionis ſunt, tanquam vicarii Epiſcoporum præcipue expediunt I. Archidiaconi (*a*) II. Vicarii generales & officiales (*b*) III. Epiſcoporum coadjutores (*c*).

(*a*) Ini-

(*a*) Initio Archidiaconus erat primus inter Diaconos, atque ut his nec non Subdiaconis & reliquorum minorum ordinum clericis præeſſet, eorundem officiis & moribus invigilaret, vaſa ſacra cuſtodiret &c. proprium illius officium. Diſt. XXIII. Can. 1. Deinde iteratis & indefinitis ſæpe delegationibus cauſarum id effectum eſt, ut eorum poteſtas vicaria & delegata tandem Sec. XI. evaderet ordinaria; præter examina eum ordinandis inſtituenda, curam cleri in Parochia exiſtentis & reparationis Ecclesiarum; viſitationes Eccleſiarum cum conſenſu Epiſcopi, corporalem inſtitutionem Abbatum, Abbatiſſarum & parochorum, competeret iiſdem jus jurgia Epiſcoporum contra Archipresbyterium mota audiendi, nec non generatim *forum Archidiaconale*, ubi tanquam in prima inſtantia cauſas leviores cognoſcere ac decidere poſſent, ipſique *Vicarii* Epiſcoporum nati compellarentur, cap. 1. 2. 7. & 10. de offic. Archidiacon. cap. 34. de Elect. cap. 3. de adpellat. in 6. Concil. Trid. Seſſ. XXIV. de Reform. Van-Eſpen P. I. Tit. XII. cap. 1. *Inſtitutio authoriſabilis*, ſeu curam animarum committere, excommunicare, ſi non conſuetudo eis in hac poteſtate ſuffragetur, pœnam pecuniariam pœnitentiæ loco exigere ſpeciatim Archidiaconis interdicitur. Cap. 4. 5. de offic. Archidiac. Can. 3. de ſolut. cap. 1. de eo, qui furtiv. ord. ſuſc. cap. 3. de pœn. Concil. Trid. Seſſ. XXV. cap. 3. de Reform. Hodie poteſtas Archidiaconorum hic & illic aut ſublata, aut ſaltem infracta conſpicitur, adeo ut jam non ex jure communi, ſed ex ſingulorum Epiſcopatuum formula debeat æſtimari, & illi in pleriſque Eccleſiis duntaxat perſonarum, id eſt eminentiam & prærogativam ſine juriſdictione externa habeant. Conf. Bingham. Orig. Eccl. L. II. cap. 21. Cironius Paratitl. de offic. Archidiac. n. 9. & quas recenſco in ord. Princip. P. II. §. 179. Quod Archidiaconi tunc demum Archipresbyterum & Presbyteros ſibi ſubjectos habuerint, quando illi ipſi ex ordine Presbyterorum ſunt aſſumti, ſolide demonſtrat Reverendiſs. Rautenſtranch l. c. §. 584.

(*b*) Vicarii generales jam inde a ſeculo XII. cæpere; & quidem propterea, quod 1. ab iis minus præiudicii, quam ab Archidiaconis ſibi evenire videbant Epiſcopi. 2. quod omnino neceſſe fuerat, ut Epiſcopi in expeditionibus cruciatis caſtra ſecuti, ſui loco alios conſecratos Epiſcopos in Diœceſi relinquerent. Invaluere tamen magis demum ſeculo XIII. uti ex titulo de officio Vicarii in 6. patet. Proprie *Vicarii in ſpiritualibus* ſunt ii, qui juriſdictionem voluntariam habent, iidemque *generales*, ſi per univerſam Diœceſim; *ſpeciales* vero ſeu *foranei*, ſi per aliquos tantum Diœceſis diſtrictos hæc eorum juriſdictio extenditur. Qui autem juriſdictione gaudent contentioſa, ſtricta adpellatione *officiales* dicuntur. Quamquam ſæpe hæc promiſcue ſumantur & etiam plerumque Vicarii generalis, & officialis munus in una eademque perſona coniungantur. Tribunal Vicarii generalis, ſeu officialis unum idemque eſt cum tribunali Epiſcopi; Ideo a ſententia illius non ad hunc, ſed ad Metropolitanum adpellatur. Ideoque Vicarii poteſtas non tantum morte, aut renunciatione ipſius, vel revocatione ab Epiſcopo facta riteque intimata ceſſat; ſed etiam ſuſpenſa vel extincta Epiſcopi poteſtate efficax eſſe non poteſt. Vid. cap. 3. §. 1. de adpellat. in 6. cap. 2. de conſuetud. in 6. c. 2. & 3. de offic. Vicar. in 6. Concil. Trident. Seſſ. XIII. de reform. cap. 4. Conf. quoque Cauſ. XVI. q. 7. Can. 22. & Concil. Trident. Seſſ. XXIV. cap. 16. de reform. ubi de qualitatibus requiſitis horum Vicariorum agitur. Cæterum poteſtas Vicarii generalis ſeſe exporrigit ad omnia, quæ ad ordinariam Epiſcopi juriſdictionem pertinent exceptis iis, quæ ſpeciali mandato indigent, & in mandato generali contineri non cenſentur, veluti: conferre, unire, dividere, ſupprimere, erigere beneficia; dare dimiſſorias; in rebus majoris momenti diſpenſare; ligare cenſuris; abſolvere a caſibus reſervatis; pœnitentiam publicam injungere, aut remittere; condere aut confirmare ſtatuta, viſitare diœceſim; indicere Synodum; exigere ſubſidium Charitativum &c. cap. fin. de offic. Vicar. in 6. c. 3. de temp. ord. in 6. c. 2. de offic. Vicar. in 6. cap. 2. de pœnit. in 6. Conf. Leurenius Tract. de Vicar. Epiſc. Illa autem lis, num Juriſdictio Vicarii ordinaria, num delegata ſit, facillime ſolvitur ab iis, qui dicunt, eam *ordinariam* eſſe, quatenus competit per commiſſionem officii generaliter factam cap. 2. de offic. vic. in 6. & opponitur Juriſdictioni, quæ cuidam extra ordinem delegatur; eatenus vero *delegatam*, quatenus a Vicariis exercetur nomine Epiſcopi, & ab hoc reſtringi, & revocari poteſt. Cl. de Riegger l. c. §. 269. & Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 596.

(*c*) Coadjutor Epiſcopi eſt is, qui ad gerendas vices Epiſcopi morbo, ſenio aliaque cauſa impediti, vel *ad tempus*, quandiu impedimenta durant, vel in *omne tempus* & cum jure ſuccedendi adſciſcitur. De coadjutoribus jam in veteri Eccleſia ex neceſſitate ac utilitate acceptis, & de authoritate hoc in negotio a ſolis ſynodis provincialibus tunc interpoſita ſufficiunt fontes, quos retuli in meo Ordine Princip. Juriſpr. Eccleſ. P. II. §. 184. & ſeq. Et cur repugnaret etiam Coadjutor cum ſpe ſuccedendi acceptus, ſi in eodem accipiendo inveſtigatæ & deprehenſæ ſint dotes ad Epiſcopatum requiſitæ, non video. Non enim tunc jure hereditario fit Epiſcopus, ſed ob dotes antea probatas & ex merito ſuccedit, omniaque ſedis vacantis incommoda evitantur; cujus rei &

gra-

graviſſimi periculi, quod Eccleſiæ valido paſtore deſtitutæ obveniret, conſideratio etiam Patres Concilii Tridentini, variorum abuſuum cauſa ad tollendam coadjutorum conſuetudinem jamjam inclinantes, ad Decretum Seſſ. XXV. cap. 7. de reform. permovit. Conf. Thomaſſin. P. II. Lib. 2. cap. 59. n. 11. Jura coadjutorum redeunt ad hæc: 1. in ſua Eccleſia gaudent eadem prœdria, qua adjutus ipſe; relate ad extraneos adtendenda praxis. 2. Poteſtas eorum ex tenore Brevis Apoſtolici dignoſcenda. 3. Nequit adjutus alteri quam coadjutori functiones delegare 4. debentur coadjutoribus alimenta congrua ex proventibus Eccleſiæ ſeu beneficii, in quo ſunt coadjutores. Non licet autem coadjutoribus, etſi cum libera & plena facultate adminiſtrandi dati fuerint, immiſcere ſe iis quibus perfungi poteſt, & vult ipſe Epiſcopus aut quibus juſta ex cauſa contradicit; id quod ex notione coadjutoris, & juriſdictionis adjuto permanentis intelligitur. Conf. cap. 1. de Cleric. ægrot. cap. un. eod. in 6. §. præſenti Concil. Trid. Seſſ. XXI. cap. 6. de reform. Lucius Ferraris in Bibliotheca canonica verbo *Coadjutor.* n. 42. Zallwein Tom. IV. op. pag. 179. Fagnanus in cap. 5. de clericor. ægrot. n. 24. Jure deſignandi coadjutorem generatim is pollet, qui jure deſignandi prælatum eſt præditus, niſi quod cauſa dandi coadjutoris hodie a Pontifice cognoſci probarique debeat. Conf. Reverendiſſ. Rautenſtrauch l. c. §. 503.

§. 211. Omitto differere de iis, quos Sacri Antiſtites in negotiis ſingularibus olim adhibuere aut tanquam *periodentas* ſeu *Circuitores* (*a*) aut tanquam *teſtes ſynodales* (*b*) aut tanquam *interceſſores* & *interventores* (*c*) aut tanquam *ſyncellos* (*d*) &c.

(*a*) Circuibant nomine Epiſcopi, & cum perfecto Juriſdictionis exercitio parœcias, & animarum ſaluti ibidem invigilabant.

(*b*) Pariter luſtrabant Diœceſim, ſed abſque juriſdictione & non niſi notaturi abuſus, de quibus Epiſcopum certiorem redderent.

(*c*) Mittebantur a Primate, aut Metropolita ad Eccleſiam vacantem, ut ibi clerum & populum ad electionem novi Præſulis rite inſtituendam præpararent, & uſque ad hanc rite peractam viduatæ Eccleſiæ adtenderent.

(*d*) Aſſiſtebant Epiſcopis & præcipue Patriarchis in obſequiis ſecretioribus.

* Sufficientes horum omnium fontes allegavi in meo ordine Princip. P. II. §. 181.

§. 212. Plura autem dicenda ſunt de Canonicorum (*a*) capitulis (*b*); quandoquidem etiam hæc Epiſcopo in regenda Diœceſi adſiſtunt (*c*).

(*a*) Olim *canonici*, ſeu *matricularii* vocabantur ii, qui *Canoni* ſeu *matriculæ Eccleſiæ* erant inſerti, ut ex penu ejuſdem Eccleſiæ alimenta perciperent; iidemque igitur diſtinguebantur hoc nomine ab illis, qui ſerviebant in oratoriis Magnatum, & horum ſtipendiis alebantur. Poſtea autem Canonicorum nomen magis proprium iis obtigit, qui ſecundum Canones, & quidem illas a Chrodegango Metenſi Epiſcopo concinnatas leges in communitate, & ſub ſingulari monaſticæ non abſimili diſciplina Seculo VIII. vivere cœperunt. Crevit Chrodegangi inſtitutum potiſſimum Auctore Carolo M. in Concil. Mog. a. 813. & quia in Concil. Aquiſgr. deinde augebatur, *regulæ aquiſgranenſis* compellatione divulgatum, & fere ab omnibus Epiſcopis Clero tam penes Cathedrales quam alias Eccleſias degenti injunctum eſt. Unde & diviſio Canonicorum in *Cathedrales*, & *collegiatarum Eccleſiarum* ſuum ortum habet. Conf. meus Ordo Princip. in P. II. §. 202. Sera magis, multoque magis illa Canonicorum diviſio eſt, qua in ſeculares & regulares abeunt. *Seculo* enim demum *decimo* eorum quidam communis vitæ conditione deſerta ſinguli abſque voto paupertatis in privatas ædes, ceu reliqui *ſeculares* Clerici ſeſe contulerunt, atque a reliquis, quibus cum vita communi Canonicorum *regularium* nomen remanſit, ſunt diſtincti. Conf. Reverendiſſ. Rautenſtrauch *l. c.* §. 510. & ſequ. Falluntur ergo ii, qui canonicorum noſtrorum originem a S. Euſebio Vercellenſi Epiſcopo, vel a S. Auguſtino repetunt. Profecto etſi vitam communem & regularem in clero introducere cæperint, nunquam tamen eorundem inſtituta canonicorum nomine ſunt celebrata. S. Ambroſ. Epiſt. 82. ad Vercel. Thomaſſin. P. I. L. 3. cap. 3. ſeq. Boehmer. J. E. Tom. II. L. III. Tit. 1. §. 11. Conf. cl. de Riegger L. III. Decret. Tit. 9. 10. & 11.

(*b*) ab Epiſcopis in gravioribus negotiis Clerum in conſilia ſemper adhiberi ſolitum fuiſſe, atque adeo eundem jam primis Eccleſiæ temporibus quemdam Epiſcopi conſtituiſſe Senatum, docet Concil. Carthag. IV. Can. 22. & 23. & videri poteſt apud Gratian. c. 6. cauſ. 15. q. 6. c. 7. cauſ. 16. q. 1. apud Coetelerium Patrum Apoſtolic. Tom. 2. p. 19. n. 6. & Caballut. in Diſt. XVIII. de priſcorum Epiſcoporum Senatu ac Presbyterio. Neque ab hoc Senatu excluſi erant Presbyteri illarum Eccleſiarum, quas dein pax Eccleſiæ reddita præter Eccleſiam Cathedralem ſeculo IV. plures con-

ſtitui

ſtitui ſinebat, ſed potius in arctioris communionis ſignum eulogiis, quarum clerici rurales non fiebant participes, ab Epiſcopis honorabantur. Vid. Cabaſſut. Diſſert. de Eulogiis & S. Baſilii Ep. 81. alias 19. Tom. III. opp. edit. Benedict. Ut autem denique Clerus Cathedralium Eccleſiarum cum Epiſcopo de rebus gerendis ſolus excluſis reliquis deliberaret, in ſingulari auctoritate, quam huic Clero & ſcientia & diſciplina Chrodegandi conciliavit, effectum eſt. Vocabula *Præpoſitus*, *Decanus*, *Capitula*, &c. ex ipſa illa Moſtaſticæ non abſimili diſciplina venere. Conf. meus Ordo Princip. loc. ci.t §. 203. 204. 205. ubi & complures fontes hoc de argumento conſulendos allegavi.

(*c*) Olim quidem omnes Canonici ſuffragio gaudebant Can. XVI. q. 7. Can. fin. cauſ. XVIII. q. 2. Can. 3. cap. 1. de Elect. cap. 22. 25. de præb. ſed dein in multis capitulis audire *Canonici in herbis*, etiam *domicillares* ſeu *domicelli* dicti, qui non illico poſt exactum annum clauſtralem, ſeu ſtrictæ reſidentiæ, de quo ſuo loco plura dicemus, *capitulares* fiunt, ſed meram vacaturæ præbendæ canonicalis *expectativam* habent. Generatim Clement. 2. de ætat. & qualit. in. nec non, in Concil. Trid. Seſs. XXII. cap. 4. de reform. ſtatutum, ne quis in capitulum Eccleſiæ Cathedralis vel collegiatæ ſecularis vel regularis cum ſuffragii jure veniat, qui ordine majore ſaltem ſubdiaconatus non eſt initiatus; ſed & ſpeciatim ea, quæ plura hic & illic ex particularibus capitulorum ſtatutis requiruntur, attendi debent.

§. 213. Enimvero capitula & ſede *vacante* (*a*) aut *impedita* (*b*) & *ſede repleta* ad regimen Eccleſiaſticum ex præſcripto legum & Canonum diverſimode adhibentur.

(*a*) *Sedes vacans* eſt *tempus illud omne*, *quod ab Epiſcopo aut Prælato vel e vivis vel quomodocunque ſublato ad novi uſque electionem intercedit*. Dividunt ſedem vacantem in *vacantem omnimode*, & *vacantem ſecundum quid*. Omnimode vacantem adpellant, cum Epiſcopus vel morte vel renunciatione vel translatione vel depoſitione &c. diſcedit. Secundum quid vacantem hanc eſſe dicunt, quando Epiſcopus vel ab hoſtibus hæreticiſve ſede pulſus aut captus; vel alio modo inutilis redditus eſt. Diſt. XCII. Can. 8. c. 3. de ſupplen. neglig. in 6. cap. 2. de Transl. Epiſc.

(*b*) *Sedes impedita* dicitur, *cum tempus eas injicit remoras*, *quo minus intra tres menſes vel eligi Epiſcopus aut Prælatus*, *vel poſtulari poſſit*: *adeo quidem*, *ut ceſſante etiam negligentia ipſa negligentiæ pœna in jure devolutionis repoſita diſpareat*, Cap. 41. de Elect. cap. 1. de ſuppl. Negl. in 6. Patet, quod igitur impedimenta, quæ vel electores vel eligendos implicant, ne ad electionem vel poſtulationem procedere fas ſit, pariter vel omnimode vel ſecundum quid impedientia eſſe poſſint. Conf. Boehmer L. III. Tit. IX. §. 18. 19. 20. Georg. Pertſch Element. Jur. Can. L. I. Tit. 26.

§. 214. Et quidem *ſede vacante* capitula præter jus eligendi Epiſcopum (*a*) ſi non eo per leges & mores ſpeciales ſint deſtituta (*b*) tam in SACRIS quæ non ad *ordinem* (*c*) ſed ad juriſdictionem Epiſcopi *ordinariam* (*d*) pertinent, atque ſine Eccleſiæ & populi detrimento *moram non ferunt* (*e*) quam in PROFANIS, quæ ad conſervandum vacantis Epiſcopatus ſtatum aut ſalvo jure *territoriali* (*f*) aut ſalva *œconomia* (*g*) non expediri non poſſunt (*h*) omnem interim poteſtatem intra limites a natura rei, per canones, & per ſancita Principum præfixos (*i*) vicario nomine (*k*) queunt exercere (*l*).

(*a*) Jam primis Eccleſiæ ſeculis clerus cathedralis demortuo Epiſcopo curam vacantis Eccleſiæ ſuſcepit; & cum ſeculo IV. Donatiſtæ, aliique hæretici vacantes Eccleſias invaderent, iiſque homines ſuæ ſectæ conarentur præficere, mitti cæpere ad ejuſmodi orbatas Eccleſias Interventores ſeu interceſſores, uti ſupra §. 211. in nota c. dicebamus. Sed contra ipſos interventores propterea, quod & bona vacantis Epiſcopatus, & interdum quoque Epiſcopatum uſurpabant, quæri debuit medela. Hanc quidem Germaniæ atque Galliæ Imperantes facile inveniebant deſignando viſitatores, imo, cum etiam Eccleſiarum vacantium reditus illo in ipſa feudorum natura fundato jure *Regaliæ* perciperent, ad hoſce procurandos viſitatoribus ſuos *Miſſos dominicos* ſeu *Regios* addendo; ſeculo autem decimo tertio tam cura vacantis Eccleſiæ, quam negotium Electionis ad ſola capitula cathedralia venit, idque jus Decretalibus Pontificum, conſtitutionibus Principum, & moribus ſtabilitum eſt, ac ſpeciatim in Germania adverſus papales reſervationes reſtitutum per concordata. Videantur de hiſce omnibus c. 3. 4. de ſuppl. negl. Prælat. in 6. c. 11. 14. de Maj. & obed. & cap. un. eod. in 6. porro Can. 74. Cod. Eccleſ. Afric. apud Grat. c. 22. Cauſ. VII. q. 1. Epiſt. Gregorii 19. L. XI. Can. 16. Diſt. 61. & conferatur Thomaſſin. P. I. L. 3. cap. 7. §. 13. Nat. Alex.

Hiſt.

Hiſt. Eccleſ. Sec. XIII. & XIV. Diſs. VIII. art. 2. §. 7. & 8. de Ickſtatt opuſc. jurid. Tom. II. opuſc. VII. §. 30.

(*b*) Veluti ibi, ubi vigent *nominationes Regiæ*.

(*c*) Quæ enim ſunt ordinis, unice profluunt a charactere Epiſcopali, qui Capitulo non congruit. Poteſt quidem Capitulum extero Epiſcopo dare licentiam in vacante Diœceſi Pontificalia obeundi, imo etiam per litteras dimiſſorias dare licentiam ordinandi eos, qui beneficio arctati ordinari debent, juxta Trid. Seſs. VII. cap. 10. de Reformat. ubi illa hac in parte olim amplior capituli poteſtas limitata fuit; verum dare licentiam ad Pontificalium & ordinationis exercitium, non ad ordinem ſed ad juriſdictionem pertinet. Conf. P. Engel ad Tit. *ne ſede vacante* n. 13.

(*d*) Uti 1. condere ſtatuta *proviſoria* annexis etiam cenſuris, 2. diſpenſare in irregularitatibus in quibuſvis caſibus, in quibus jure ordinario poterat Epiſcopus, 3. adprobare ſacerdotes pro excipiendis confeſſionibus, iiſque largiri facultatem abſolvendi a peccatis & cenſuris Epiſcopo reſervatis, 4. mittere viſitatores in Diœceſim, & in ejuſdem partes non obſtante cap. ult. de ſupl. neglig. in ſexto nec non monialium monaſteria, quæ exemta dicuntur 5. adigere clericos ut proferant titulos, beneficiorum, vel diſpenſationum, ſi duo aut plura incompatibilia ſimul obtineant. 6. Conferre beneficia, quorum collatio ad Epiſcopum & capitulum ſimul pertinet, aut certis hominibus ex fundationis præſcripto debetur, atque igitur etiam in hujuſmodi beneficiis reſignationes acceptare, & permutandi veniam dare 7. præſentatos a patronis inſtituere. 8. Confirmare electiones inferiorum Prælatorum, 9. in ſuſpectos, famoſos, & criminoſos animadvertere. 10. De cauſis quibuſcumque ad Epiſcopi forum pertinentibus cognoſcere, 11. alienare res Eccleſiæ, quæ ſervari non poſſunt, & in alienationibus per inferiores Prælatos ad Clericos faciendi ſuam authoritatem interponere, 12. ex juſta cauſa exigere ſubſidium charitativum, 13. depoſcere & perquirere rationes adminiſtratorum de locis Epiſcopo ſubditis &c. videantur Clement. fin. de ſtatu Monach. cap. unic. Ne ſede Vac. in 6. 14. de Maj. & Obed. cap. 6. de Hæret. in 6. & Clem. 1. eod. cap. 61. de reg. Jur. in 6. Concil. Trid. Seſs. XXIII. c. 15. de Reform. Seſs. XXIV. cap. 9. de Regul. Et Conf. Petrus Leuren vic. Epiſc. Tract. III. cap. 2. nec non P. Wieſtner ad Tit. ne ſed. vac. art. I. Quæ autem Juriſdictionem Epiſcopi extraordinariam reſpiciunt, & tantum perſonæ Epiſcopi ex jure ſpeciali ſunt commiſſa; aut cum dignitate Epiſcopali indivulſe connexa, patet nullam in his capitulo poteſtatem eſſe poſſe.

(*e*) Profecto non ex alia ratione capitulum ſede vacante vices Epiſcopi gerit, quam ex hac, ne Eccleſia & plebs paſtore orbata detrimentum patiatur. Ultra ea igitur negotia, quæ moræ ſunt impatientia, poteſtas capituli ſeſe extendere nequit, atque hinc non poteſt capitulum 1. inſtituere aut proſequi litem de juribus Eccleſiæ, 2. conferre beneficia ad Epiſcopum pertinentia, ſeu ad eundem per negligentiam inferiorum Prælatorum devoluta 3. extinguere canonicatus, aut præbendas, & alienare res, & bona Eccleſiæ ſine eluctabili neceſſitate, 4. bona ad menſam Epiſcopi pertinentia ad menſam capituli transferre &c. videantur can. 38. 41. 42. 43. 44. Cauſ. XII. q. 2. cap. 2. 3. ne ſed. vac. cap. 40. de Elect. in 6. Clem. 7. de Elect. Trid. Seſs. XXIV. c. 15. cap. 1. & 3. de integr. reſtit. & conf. Van-Eſpen P. I. Tit. 7. cap. 5. & Tit. 8. cap. 3. Thomaſſin. P. I. L. 3. cap. 10. nec non Leuren & Wieſtner locis citatis. Atque facile jam intelligitur, quomodo accipi debeat illud Canoniſtarum: *Juriſdictio Epiſcopi ſede vacante in capitulum tranſit*, & alterum *ne ſede vacante aliquid innovetur*, *cum non ſit*, *qui jus Epiſcopale tueatur*, cap. 1. ne ſede vac.

(*f*) Id cumprimis obſervandum in Epiſcopatibus Imperii Romano-Germanici, quandoquidem eorundem Antiſtites duplicem perſonam, ſcilicet Epiſcopi, & Principis ſtatuſque Imperii ſuſtinent, ſed de his plura ſuo loco.

(*g*) Poſtquam inde ab Ottone IV. Imperatores jure Regaliæ ſe in favorem Eccleſiarum abdicarunt, capitula dein non tantum in ſacris, ſed & in regalibus & temporalibus ſibi vendicarunt adminiſtrationem, eaque ipſis per obſervantiam & legibus hic atque illic ſtabilita.

(*h*) Non minus igitur in politicis & œconomicis poteſtas capituli ex fine, ob quem vices Epiſcopi gerit, intelligenda; & non ad cauſas graviores indaginis, moræ patientes, aut a ſolius Epiſcopi perſona & charactere dependentes extendenda eſt. Conf. de Ickſtatt l. c. §. 54. ſeq. & 71.

(*i*) Conf. Reverendiſſ. Rautenſtrauch. I. Jur. Eccleſ. §. 533.

(*k*) Quod intermiſtica hæc poteſtas capitulorum iiſdem ex condominii & proprietatis jure, & non tantum vicario nomine competat, profecto nullus demonſtrabit. Enimvero ſi de regimine ſpirituali loquamur, utique manifeſtum eſt, *Spiritum Sanctum Epiſcopos*, non capitula *poſuiſſe regere Eccleſiam Dei*; & quantumvis poteſtas capitulorum ſede vacante eatenus *propria* dici poſſit, quatenus eis ex legum & canonum diſpoſitione defertur, ipſi tamen canones ſatis indicant, id tantum *proprium* eſſe capitulis, ut *vicario* & tutorio nomine eandem poteſtatem exerceant, quandoquidem textus Juris Canonici, etiam delata capitu-

pitulis poteſtate in ſedem vacantem, eamuſque ad electionem novi Præſulis defenſore legitimo carentem, & *viduatam* compellant. Vid. cap. fin. ne ſede vac. cap. 11. 14. de Major. & obed. cap. un. ne ſed. vac. in 6. cap. ult. de ſuppl. neglig. in 6. & conferatur Formoſin. de poteſtat. cap. ſed. vac. quæſt. 1. num. 7. & quæſt. 7. num. 1. Neque autem de Regimine temporali dubium eſſe poteſt, id vicario nomine a capitulis exerceri, quandoquidem fructus, atque reditus ex bonis menſæ Epiſcopalis, aut ex territorio aliunde provenientes in futuri Epiſcopi uſum, & Eccleſiæ ac territorii emolumentum cuſtodiendos eſſe Concilium Tridentinum aliique ſacri canones dicant, & quandoquidem porro ſolus Epiſcopus de regalibus inveſtitur, non capitulum, cuius nec mentio in literis inveſtituræ fit; uti & capitulum nunquam ſtatus Imperii ſalutatur, quantumvis in comitiis, nomine ſcilicet vicario & tutorio, ſuffragia habeat. Et ſane diplomata, quæ regalia aliaque temporalia bona Epiſcopis & *Eccleſiis* conceſſa eſſe exhibent; de ſtabilita donationum perpetuitate, non de ſtabilito capituli condominio teſtantur. Vid. cap. 40. de Elect. in 6. cap. 9. de off. ordin. in 6. Trid. Seſſ. XXIV. cap. 16. de reform. Conf. Chron. Belgic. in Hiſtor. ſcript. rer. Germ. Tom. III. pag. 229. Menken ſcript. rer. Germ. Tom. III. Caroli IV. p. 2033. num. 21. & 22. Moſer I. P. Tom. XII. L. 3. cap. 54. §. 7. p. 161. Ickſtatt l. c. §. 64. 65. 69. 70. 71. 72. ſed de capitulis Germaniæ plura alibi. Id unum præterea hic addendum, conſiderata tota capituli poteſtate, nec dici poſſe cum Van-Eſpen P. Tit. XI. cap. 1. §. 3. aliiſque: Juriſdictionem Epiſcopalem, & Eccleſiæ adminiſtrationem ſede vacante ad capitulum *jure non decreſcendi* devolvi.

(*l*) Statuit ſynodus Tridentina Seſſ. XXIV. cap. 16. de Reform. ut *capitulum ſede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit*, OECONOMUM *unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Eccleſiaſticarum ac proventuum curam gerant*, QUORUM RATIONEM EI, AD QUEM PERTINEBIT, SINT REDDITURI. *Item* OFFICIALEM *ſeu* VICARIUM *infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere vel*, EXISTENTEM *confirmare omnino teneatur; qui ſaltem in Jure Canonico ſit Doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujuſmodi devolvatur*. Porro Epiſcopus novus *ab iiſdem Oeconomo & vicario rationem exigat officiorum, juriſdictionis & adminiſtrationis, poſſitque eos punire, qui in eorum officio, ſeu adminiſtratione deliquerunt, etiamſi redditis rationibus a capitulo abſolutionem, aut liberationem obtinuerit*. Patet igitur 1. quomodo capitula ſede vacante dictam poteſtatem exerceant, 2. In Electione Vicarii nullam quidem formam electionis ſolemnem præſcriptam, ſed ſimpliciter votis majoribus relictum eſſe. 3. Tempus electioni præfixum a capitulo facile contrahi, aut re adhuc integra moram purgari; non vero illud prorogari poſſe. 4. auctoritatem Vicarii ſimpliciter, & generaliter conſtituti eſſe tantam, quanta eſt capituli, adeo, ut etiam ea, quæ ſede plena ſpeciale mandatum requirunt, poſſit pertractare, ſi modo eadem pertractare poſſit capitulum. 5. Conſtituto licet Vicario penes capitulum remanere curam, & ſollicitudinem Eccleſiæ, ita, ut, etſi ceterum ejus auctoritas ſit firmiſſima, tum tamen removeri queat, cum ſuſpectus eſſet in aliqua cauſa, de qua ipſum capitulum vi juriſdictionis ſibi competentis cognoſcet. 6. Vicarium & œconomum novo Epiſcopo rationes reddere debere, & ejuſdem juri puniendi, ſi quid deliquerit, non attenta abſolutione, quam a capitulo conſecuti ſunt, ſubjacere. Conf. Van-Eſpen P. I. Tom. VII. & ſequ. Leuren vic. Ep. Tract. III. cap. 4. & 5. Et de iis, quæ ſibi capitula immerito arrogant, de Ickſtatt l. c. §. 77. ſequ.

§. 215. Quæ ſede vacante, eadem capitulo ſede impedita non competere non poſſunt, niſi quod ſede impedita creſcat multitudo negotiorum, quæ citra diſpendium ſalutis populi Eccleſiæ & Epiſcopatus moram non patiuntur (*a*).

(*a*) Hinc & collatio beneficiorum ad Epiſcopum pertinens, tunc capitulo denegari non poterit. Cap. un. ne ſed. vac. in 6. Conf. Reverendiſſ. Rautenſtrauch I. I. E. §. 539.

§. 216. *Sede* autem *plena* I. jure dandi *conſilium* II. Jure dandi *requiſitum conſenſum*, capitulorum jura abſolvuntur.

§. 217. Regula ſane generalis eſt, *ne quid Præſul in negotiis gravioribus ſine conſilio Capituli agat* (*a*).

(*a*) S. Ignat. Epiſt. ad Tarſenſ. S. Cyprianus Epiſt. 5. ad Presb. & Diacon. Cauſ. XV. quæſt. 7. can. 6. cap. 4. & 5. de his, quæ fiu. a Prælat. ſed & Confer. cap. 7. de arbit. & Cl. de Riegger l. I. E. P. III. §. 252. Edit. nov.

§. 218. Et quidem nec in Jure Canonico nec in capitulationibns legitime initis ; de quibus alibi agemus, *conſenſus Cdpituli* exigitur, ſemper conſilium ſufficit.

§. 219. Negotia autem, ad quæ *conſenſus Capituli* ex præſcripto Canonum requiritur, ea ſunt quæ aut jura & obligationes totius Epiſcopatus, aut jura & obligationes totius Capituli attingunt, atque ad immutandum ſtatum, vel Eccleſiæ, vel Capituli faciunt. (*a*).

(*a*) Ejuſmodi ſunt, alienationes rerum Eccleſiaſticarum, collatio beneficiorum ad capitulum juxta & Epiſcopum pertinens, præſentationes toti collegio inhærentes, impoſitiones penſionum, uniones extinctioneſve beneficiorum, augere vel diminuere numerum Canonicorum & generatim receptio Canonicorum. Vid. cap. 1. 2. 6. 8. 9. de his, quæ fiu. a Præl. c. 4. de fidejuſſ. cap. 2. de ſolut. c. 2. de donat. cap. 33. de Præb. in 6. & Conf. Barboſa Tract. de Canon. cap. fin. Et ſane, etſi conſuetudo Præſulibus patrocinari poſſit, ut in negotio ſingulari, unde magnum Eccleſiæ periculum non imminet, nec conſilio, nec conſenſu capituli indigeant, cap. 6. de his, quæ fiu. a Præl. cap. 3. de conſuet. in 6. talem tamen conſuetudinem in negotiis ordinis bonum Eccleſiæ, & capituli concernentibus canones prorſus rejiciunt. Cap. 1. 3. de conſuet. cap. 4. 5. de quæ fiu. a Præl.

§. 220. Atque requiſitum in hiſce negotiis conſenſum tunc noſcemus adeſſe legitimum, ſi I. modi in convocando (*a*) II. eorum, qui convocari debent (*b*) III. Tractationis rei (*c*) IV. ipſorum ſuffragiorum (*d*) V. eorundem, quæ demum ita *capitulariter tranſacta* eſſe dici poſſunt, firmandorum (*e*) ſecundum normam a canonibus præſcriptam ratio habita fuerit.

(*a*) Ut legitima ſit in hujuſmodi cauſis canonicorum congregatio, requiritur

1. Ut Epiſcopus ipſe convocet, vel Decano ſaltem ſuas vices demandet, Trid. Seſſ. XXV. cap. 6. de Reform. quod etiam tunc obtinet, ſi de ipſius Epiſcopi commodo agitur, quamvis tali quidem in caſu Epiſcopus nullam vocem habeat, & nec præſens ſit deliberationi.

2. Fiat ſtatis temporibus, vel conſuetis ſaltem, ſi extra ordinem convocatione opus.

3. Vel ſono campanæ, vel viva voce, vel Epiſtolis, cap. 30. de Elect.

4. Si fieri poſſit in loco certo & ſolemni, qui vocari ſolet *Capitulum*, etſi Epiſcopus etiam ad ſe in aulam Canonicos convocare poſſit.

* Conf. Card. de Luca T. I. de can. diſc. 27. T. III. de regul. diſc. 53. Barboſa de Canon. c. 33. Leuren in foro Benef. P. II. quæſt. 671.

(*b*) Quotquot in capitulo vocem habent, *modo non degent alibi abſentes*, vocari debent. Can. 2. Cauſ. X. quæſt. 11. cap. 5. de his, quæ fiu. a Præl. ſed & *abſentes* citari oportet.

1. In electione Prælati cap. 42. de Elect.

2. Dum agitur de aliquo in Canonicorum ordinem recipiendo, aut facienda præbendarum collatione, cap. 33. de præb. in 6.

3. De indicanda ceſſatione a divinis cap. 8. de off. ord. in 6.

4. In negotiis aut ſumme arduis, aut ſaltem ejuſmodi, in quibus de conſuetudine requiritur, ut abſentes advocentur.

Et ſi non omnes, qui debent, advocati fuerint, tum

1. hi poterunt de contemtu conqueri & facta capituli infecta reddere. Cap. 28. & 36. de Elect.

2. Totum alioquin conſultum fruſtrabitur, ſi duæ tertiæ non fuerint invitatæ, arg. l. 3. ſeq. ff. quod cujuſque univerſ. nom. l. 3. ff. de decret. in ord. fac.

Conf. Paſſerin. de Elect. Canon. cap. 11. num 42. ſeq. Barboſa de Canon. cap. 39. Wieſtner L. 3. Tit. XI. num. 12. 13. Bockn L. 3. Tit. XI. n. 45.

(*c*) Legitima rerum tractatio conſiſtit in eo, ut a capitulo rite congregato, & in capitulo fiat propoſitio diſcuſſio deciſioque. Extra talem igitur tractationem *ceſſante corporis ratione*, *nec ſinguli quidquam valent*, *nec univerſi*, in ea vero *omnes & ſinguli valent omnia & ſingula*. Tamburin. de Abbat. Tom. III. 18. n. 4. Card. de Luca Tom. I. de benefic. Diſc. num. 3. 5.

(*d*) De ſuffragiis hæc notanda;

1. Vota abſentium, qui vocari debebant, & legitime vocati ſunt, accreſcunt præſentibus.

2. Concludunt in regula vota majora reſpectu totius capituli, ſi ſint ſaniora, ſeu nec morum integritati, nec Eccleſiæ Dei zelo, nec Reipublicæ adverſa. In dubio pars major etiam ſanior eſſe creditur. Sed ſi contrarium probari poteſt, ad hoc probandum etiam unicus admittitur. Cap. 48. de Elect. cap. 1. 3. & fin. de his quæ ſiu. a maj. parte capit.

3. Si

Digitized by Google

3. Si capitulo legitime collecto pars minor receſſerit, pars major pergit in negotio arg. c. 19. de Elect. Major vero pars ſi diſceſſerit, nihil valet pars minor ſuperſtes, & conventus ſolutus eſſe videtur.

4. Negotia, quæ ad Epiſcopum & Capitulum ſimul pertinent, ab uno capituli & altero Epiſcopi voto dependent. Tum igitur, niſi Epiſcopus duplicato gaudeat ſuffragio, altero qua Epiſcopus & qua Canonicus altero, & ita forte in ipſo capitulo vota majora efficere poſſit, nihil actum erit. Card. de Luca Tom. I. de benef. Diſc. 30.

5. Vota abſolute majora non ſemper tamen ſufficiunt, ſed requiruntur

1. Duæ tertiæ, ut poſtulatus, qualis vocatur, qui, impedimento licet canonico laborans, ſuffragia obtinuit, prævaleat electo. Cap. 40. de Elect. quod hic notaſſe ſufficit, & plenius intelligetur, dum ſuo loco clarior notio electionis & poſtulationis dabitur.

2. Duæ tertiæ in electione ſummi Pontificis cap. 6. eodem.

3. Suffragia totius Capituli, vel duarum ejus partium in conſtitutione coadjutoris pro amente Epiſcopo cap. un. de Cleric. ægrot. in 6.

4. Unanimia, ſi agitur de electione per compromiſſum facienda (id quod pariter ſuo loco clarius exponetur) & etiam

5. in omnibus negotiis, quæ jus ſeu præjudicium ſingulorum concernunt. Cap. 29. de Reg. Jur. in 6. neque obſtat cap. ult. de his, quæ fiu. a maj.

(*e*) Ut nempe acta capituli conſequentibus etiam temporibus ſuam integritatem demonſtrent, rediguntur in inſtrumentum, ſeu ſcripturam, cui & a Præſule, & ſi non ſingulis capituli membris ſaltem a majori parte ſubſcribitur. Can. 51. Cauſ. XII. q. 2. c. 1. de his, quæ fiu. a Præl. c. 5. de probat. c. 2. de Solut. & conſ. Bocken L. 3. Tit. XI. n. 16.

§. 221. Extra ea autem, in quibus capitulum ſede vacante, impedita, aut plena ad Eccleſiæ Regimen & adminiſtrationem adhibetur, capitulum ab Eccleſia prorſus ſeparate conſideratur. Enimvero Eccleſiam Epiſcopus tanquam caput, & capitulares Eccleſiæ Cathedralis tanquam membra; ipſum vero Capitulum Canonici cum ſuo Decano conſtituunt (*a*) ab hoc vel a Præpoſito diriguntur (*b*) atque peculiaria ſua jura habent (*c*).

(*a*) Hinc diverſæ etiam ſunt dignitates

Cathedrales hæc ſunt &	*Capitulorum hæc ſunt*
Archidiaconus	Præpoſitus Decanus Cantor
Archipresbyter	*Scholaſticus* Theſaurarius *Canonicus Theologus*,
Pœnitentiarius	qui, & ſcholaſticus, utinam omnibus ubique capitulis ea, quam apud
Officialis	Cl. Van-Eſpen expoſitam deprehendis, ra-
Vicarius generalis	tione florerent.

Conſ. Cl. de Rieg. L. I. Decret. Tit. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & L. III. T. V. IX. X. & XI. Sed de hiſce dignitatibus ſingulis inter ea, quæ ad Politiam Eccleſiæ ſpectant, opportunior erit diſſerendi locus.

(*b*) Initio ad Decanum cura interioris diſciplinæ, ad Præpoſitos autem externorum, & temporalium directio pertinebat. Cum vero Præpoſiti ſæpe abuterentur ſua poteſtate, utraque cura ad Decanos tranſiit, & Præpoſiti vel hic & illic prorſus non habentur, vel ubi habentur, relicta iis in Choro ac capitulo ante omnes Canonicos [illegible] ite Decani tamen capitulum, id dirigendi, in eodem proponendi, decretorum executionem mandandi, & temporalia adminiſtrandi gaudent. Conſ. Reverendiſſ. Rautenſtrauch l. c. §. 551.

(*c*) Cujuſmodi ſunt præter jus habendi ſuos Præpoſitos & Decanos

1. Jus celebrandi conventus ſine Epiſcopo, & ſtatuendi de rebus ad capitulum pertinentibus.

2. Jus proprii ſigilli, quo univerſi capituli acta muniantur.

3. Communis ærarii.

4. Conſtituendi ſyndici, qui negotia controverſa capituli ex illius re pertractet.

5. Corrigendi exceſſus eorum, qui de collegio ſunt, ſaltem, ubi id longa conſuetudine invaluit. Cap. 13. de offic. jud. ordin.

6. Poſſunt etiam Canonici Cathedrales munere delegatorum ſedis Apoſtolicæ fungi, cap. 11. de Reſcriptis; quapropter hodie omnes Canonici cathedrales ſenſu quodam generaliori cenſentur conſtituti eſſe in dignitate Eccleſiaſtica, quæ ſcilicet ad illud requiritur. Ceterum proprie *dignitas* eſt præeminentia, cui annexa *Juriſdictio Eccleſiaſtica externa*; quæ, aut ſaltem adminiſtratio ſi non annexa ſit, ſola præeminentia tantummodo *perſonatum* efficit. Prout itaque aut dignitatem, aut perſonatum Canonicus habet, ita magis eminet, & ſplen-

Digitized by Google

niſi *officium* ſeu adminiſtrationem ſimplicem ſine præeminentia aut juriſdictione habent. Si iis, quæ inter jura capituli II. III. & IV. loco poſui, addas, quod in capitulo plures perſonæ ſacris ordinibus initiatæ adeſſe debeant, habes ea, quæ doctoros communiter requiſita capituli vocant. Conſ. Cl. de Riegger S. J. E. P. III. §. 207. nov. Edit.

§. 222. Inſtitutis Ordinibus Regularium (*a*) etiam horum ſuperiores, veluti Abbates, Miniſtri Generales &c. præter paternam poteſtatem (*b*) in ſuos peculiarem quoque poteſtatem Eccleſiaſticam ſunt conſecuti.

(*a*) Qui monaſteria, omneſque nrdines religioſos tanquam virorum piiſſimorum & multorum etiam eruditorum ſeminaria cumprimis veneror, is tamen non ſum, qui eorumdem *Inſtitutionem* a Chriſto, vel ab Apoſtolis, vel a Joanne Baptiſta aut plane ab Elia repetendo, ſacris literis, traditioni & omni Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ nec non obſervationibus doctiſſimorum adverſum tenere & hos quidem, quia eorum originem ad ſeculum IV. aut V. referunt, propterea inter *hæreticos* vel antiquiores vel *recentiores*, aut *hypocriticos* recenſere vellem. Ejuſmodi ſane ſocietas, qualis ſtatus ordinum religioſorum definiri debet, ſcilicet SOCIETAS *fidelium editis perpetuæ obedientiæ paupertatis & caſtitatis* VOTIS *ſecundum* REGULAM *ab Eccleſia adprobatam & ſub* REGIMINE ECCLESIASTICO PECULIARI *Deo ſervientium* primis tribus Eccleſiæ ſeculis non deprehenditur. Quandoquidem præcipuus vitæ ſolitariæ auctor *Paulus Thebæus*; Illuſtrator & Aſſeclas ſibi plures adjungens *Antonius Ægyptius*; conſociationis ſeu vitæ cœnobiticæ promotor Pachomius; Translator ejuſdem in vicos & Urbes S. Baſilius; promotores in Occidente S. Athanaſius Alexandrini Sacerdotes, S. Martinus & Caſſianus; Reſtaurator & Reformator primus Regularium S. Benedictus fuerat, veluti horum omnium documenta in meo ordine principiorum Jur. Eccl. P. I. a §. 186. uſque 193. dedi, plura ibi, ubi inter capita Politiæ Eccleſiaſticæ etiam de Regularibus mihi agendum erit, de reliquorum, qui dein ſecuti ſunt, religioſorum ordinum origine dicturus. Novi tria Evangelica Conſilia Matth. XVI. v. 24. XIX. v. 12. 21. a Chriſto data eſſe. Sed & novi exempla Sanctorum complurium in communi Eccleſiaſtico Laicove ſtatu conſtitutorum, qui vendidere omnia, uſque in egenos erogatis adeo ſtrictam elegere paupertatem, ut neque quidquam ſibi proprium, neque etiam quid cum aliis commune retinuerint, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cœlorum, qui abnegarunt ſemetipſos, & *tollendo crucem ſuam* ita vere ſecuti ſunt Chriſtum: qui itaque hæc cuncta Chriſti conſilia, & quidem inter Eccleſiaſticas aut civiles ſuo ſtatui convenientes curas, inter ſummos pro republica ſuiſque proximis labores, medii inter homines, & inter quotidiana, a quibus ſecedere non poterant, negotia examuſſim implevere, quinab ipſis *vota* paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ emiſſa, quin aut eos in *ſolitudine* vel in *ſtabili loco*, aut ſub ſpeciali quadam *Regula* & ſub *Regimine* peculiari vixiſſe, paucis! quin eos cujuſdam ordinis religioſos (id quod unum & nil contra præſtantiam religioſorum ordinum intendo) aut Monachos fuiſſe dicere poſſim. Ex eo igitur, quod Conſilia hæc Evangelica, quæ certe *quoad ſubſtantiam* ab Eccleſiaſticis Laiciſve extra definitas ſocietates expleri queunt, a Chriſto data ſunt, has ſocietates a Chriſto quoad ſubſtantiam inſtitutas eſſe nemo eruditorum aſſeret. Præterea advertas velim, eadem conſilia tanquam media perfectionis in *abſtracto*, non autem quomodocumque, pro quovis in *concreto inſtituta* eſſe dici debere. Illa etenim, quæ a Salvatore noſtro proprie & univerſe inſtituta ſunt, *eſſentialia*, atque omnibus fidelibus communia & neceſſaria eſſe perſpectum habemus juxta illud: *ſi autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Quis autem quæſo ipſos etiam Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ante Decretum de Cœlibatu ab his ſervando ſub finem Seculi IV. a Siricio P. prolatum aut Subdiaconos ante Seculum XI. abſque Cœlibatu potuiſſe & abſque omnium bonorum venditione adhucdum poſſe æternam ingredi vitam non defendet. Sed repeto hunc eundem, utut recentioris & humanæ inſtitutionis eſt, Religioſorum Virorum ſtatum ſingulari laude & veneratione eſſe digniſſimum. Conf. Henr. Valeſ. Not. in Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. II. C. 17. Ant. Pagi in Baron. annal. ad an. 62. n. 4. Bingham. oper. Vol. III. Cap. 7. Clariſſim. de Riegger. L. III. Decret. per totum Tit. 35. Quod autem jura Epiſcoporum circa ordines religioſos concernit, ea a Magno illo Germaniæ noſtræ defuncto Arciepiſcopo dilucidata & exercita vide *in generali Mandato Emerichi-Joſeph Moguntini Archiepiſcopi Electoris & Epiſcopi Vormatienſis, circa ditionis ſuæ Monaſteria*: dd. *Moguntiæ* 30. *Julii* 1771.

(*b*) Hæc ſcilicet Abbatibus jam vi voti obedientiæ in Monachos curæ ſuæ commiſſos competit; & ad urgenda ea ſeſe extendit, quæ inſtituto & profeſſioni ſunt conformia.

Digitized by Google

§. 223. Cum nempe Abbates plerique jam ſeculo quinto Presbyteratu ornati, (*a*) mox ad ipſas ſynodos vocati, & etiam ante Presbyteros ſuffragium ferendi poteſtate præditi, (*b*) ac dein a medio ſeculo undecimo Pontificalibus ornati eſſent, (*c*) demum etiam juriſdictione in ſuos quaſi Epiſcopali donabantur (*d*).

(*a*) Erant enim monachi omnes olim in numero laicorum quamvis ſupra plebem eminentes. Conf. meus Ordo Princip. l. c. §. 194. In Occidente quidem demum ſeculo ſeptimo exeunte Abbates inter Presbyteros adlecti; ſed a. 827. Synodus Romana omnes Abbates presbyteratu initiari juſſit, & Synodus Pictavienſis pœnam quoque adjecit, ut ſecus Abbatiis priventur.

(*b*) Conf. Thomaſſin. P. I. l. 3. c. 13. & 15.

(*c*) Primus mitræ Pontificalis uſum ab Alexandro III. obtinuit Egeſinus Abbas Monaſterii S. Auguſtini prope Cantuariam. Poſtquam vero jus fere commune Abbatum evaſit, & Epiſcopi conqueſti ſunt, quod in Synodis nulla amplius inter Epiſcopos, & Abbates mitra gaudentes eſſet diſtinctio, ex decreto Clementis IV. uſus mitræ ſolummodo in Conciliis ita determinatus fuit, ut exemti mitras auri phrygiatas, ſed ſine gemmis laminiſque aureis vel argenteis; non exemti vero ſimplices albas & planas portarent. Conf. cap. *ut Apoſtolicæ* de Privileg. in 6. & Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 662.

(*d*) Jura, quæ Abbatibus competunt, præcipua hæc ſunt.

1. Poſſunt ſuos regulares ſeu per ſe, ſeu per ſacerdotem delegatum a peccatis abſolvere. Extrav. com. *inter cunctas*, de Privil. Concil. Trid. Seſs. 23. cap. 15. de Reform.

2. Statuere ſuis caſus reſervatos a Clemente VIII. a. 1593. ad undecim reſtrictos, quos citra conſenſum capituli provincialis excedere nequeunt.

3. Coercere ſuos, etiam Eccleſiaſticis cenſuris.

4. Poſt Epiſcopos præ aliis præcipua dignitate Eccleſiaſtica fulgent, ita, ut etiam Cathedralium Eccleſiarum Canonicos non capitulariter collectos, ſed ſingulariter incedentes præcedant. Can. ſi quis deinceps. Cauſ. 116. q. 7. cap. 2. de Præb. in 6.

5. Delegantur iis cauſæ a ſede Apoſtolica.

6. In Conciliis jure ſuffragii potiuntur (§. 147.)

7. Qui ornamentis Pontificalibus gaudent, poſſunt ea benedicere, in quibus Chriſma, aut unctio non intercedit.

8. Conferre ſubditis ſuis regularibus ordines minores, Trid. Seſs. 23. cap. 10. de Reform.

9. Poſſunt etiam ſeu *privilegio* ſeu *conſuetudine immemoriali* juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum populumque conſequi; Vid. Bulla Benedicti XIV. *Ineffabili*, quæ a. 1752. prodiit occaſione diſſidii inter Epiſcopum Herbipolenſem, & Abbatem Fuldenſem amicabiliter compoſiti, & compoſitionis hujus a laudato Pontifice confirmatæ, ubi præſcriptio 40.annorum etſi accedente Titulo colorato, excluditur contra opinionem, quæ prius juxta cap. 15. de Præſcr. contraria fovebatur.

* De regimine peculiari, quod in Religioſis ordinibus diverſimode exercetur, & de reliquis præter Abbates Regularium ſuperioribus agetur fuſius eo loco, quo ordines regulares inter ſpecialia Politiæ Eccleſiaſticæ capita conſiderabimus.

§. 224. Sed & quam maxime Parochi Epiſcopo in ſollicitudine paſtorali adjutores accedunt; cumque ipſi ſint ex primaria inſtitutione Chriſti *minores Prælati*, & *Hitrarebæ*, atque, qua Parochi, non Vicaria & delegata, ſed ordinaria Juriſdictione gaudeant, neceſſe eſt, ut de iis peculiari capite tractemus.

CAPUT IX.

De Parochis.

§. 225. Jam ſupra (§. 164.) oſtendimus, ipſum Salvatorem noſtrum præter Apoſtolos ſibi diſcipulos adſciviſſe, & quidem non alia de cauſa, quam ut ordo iſte

(*a*) Luc. X. 1. & ſeq. ubi immediate ab ipſo Salvatore munus operariorum, & poteſtatem huic muneri neceſſariam nanciſcuntur; & non minus, ac Apoſtolis dictum fuerat, dicitur diſcipulis: *Ite, ecce ego mitto vos*.

(*b*) *Parochia* nimirum hodie tantum Diœceſeos partem ſignificat, dum olim ipſa Diœceſis hoc nomine compellata fuit, can. 5. 6. Diſt. 92. Initio quidem non parochia, ſed *parœcia* audiebatur. Παροικοὶ enim ſunt accolæ, parœcia itaque accolarum conventus. Conf. Pitiſcus in lex. antiqu. voc. Parochia, videatur quoque du Freſne in Gloſſ. voc. Parochia, Voſſ. de vit. ſerm. L. I. cap. 2. Nonnulli exiſtimant nomen *Parochorum* ſumtum eſſe a Romanis, apud quos ii Parochi dicebantur, qui peregrinis ſalem & ligna præbebant. Horat. 1. Sat. 5. 46. & cum Presbyteri peregrinis in hac vita præbeant alimenta ſpiritualia, eos propterea *parochos* ſeu præbitores eſſe vocatos. Ceterum, veluti jam pridem parochi a quibuſdam etiam *Curiones* dicti ſunt, ita hodiedum vulgo vocantur *Curati*. In capitulo 5. de ſtatu Monach. inde quod Plebi præſint, *Plebani* leguntur. Conf. Reverendiſſ. Rautenſtrauch. l. c. §. 602.

(*c*) Ita etiam aperte a. 1429. docuit Theologica Facultas Pariſienſis contra Joannem Serazin, qui Parochos non ex Chriſti inſtitutione eſſe propugnavit. Habert Theol. Dogm. Tom. 7. de Hierarchia cap. 6. q. 2.

§. 226. Enimvero inde, quod I. Parochiæ, uti hodie habentur, ſerius ſunt ortæ (*a*) II. variæ iis limitationes adjectæ (*b*) III. ipſi parochi auctoritate Epiſcoporum, prævio examine, & adprobatione in Eccleſiis inſtituuntur (*c*) haudquaquam legitima ratiocinatione deducetur: illos quoad ordinem & officium ſuum, ac poteſtatem cum hoc neceſſario connexam divinæ inſtitutionis non eſſe.

(*a*) Non negamus, initio Eccleſiæ non fuiſſe templa, qualia hodie habentur. Attamen certe jam primi Chriſtiani ſuos ad divinum cultum habebant conventus; & peculiares quidem partim ob perſecutiones, partim ob creſcentem in dies numerum fidelium, qui unum in locum colligi non potuiſſent. Et utique ad eſſentiam parochi non Eccleſia particularis requiritur, ſed ſatis eſt, ut ex officio populum *doceat & regat*, atque tale officium gerentes deprehenduntur Act. XIV. 22. ad Tit. I. 5.

(*b*) Neque docemus, id Chriſti inſtitutum eſſe, ut parochi *hoc ritu & modo*, quem nunc Eccleſia ſervat, in parœcias diſtribuantur. Profecto Chriſtus etiam Apoſtolis Diœceſes non diſtribuit, & Eccleſias, in queis reſiderent, non aſſignavit; & tamen juriſdictio Epiſcoporum divinæ Inſtitutionis eſt, uti alibi demonſtravimus.

(*c*) Denuo ad poteſtatem Epiſcoporum reflectatur, quæ quidem non ſine legitima confirmatione & conſecratione, ſed propterea tamen immediate a Deo acquiritur. Ita ſane Parochi, non niſi qua tales auctoritate Epiſcoporum certæ adſcribuntur Eccleſiæ, ſed hoc tamen facto immediate a Deo jus populo ſibi commiſſo omnia ad animarum ſalutem neceſſaria miniſtrandi adipiſcuntur. Conf. Ludov. Habert Theol. Dogm. Tom. 7. de Hierarch. cap. 6. q. 2. Van-Eſpen Tract. de Recurſ. ad Princ. cap. 2. §. 10. Reverendiſſ. Rautenſtrauch l. c. §. 607.

§. 227. Major ſane Parochiarum determinatio, auctus earum numerus; & quæ hodie cernimus, earundem adjuncta inde a temporibus Conſtantini M. & pace Eccleſiæ reddita ſenſim ſine ſenſu venere (*a*). Et quidem ob conſideratam Parochiarum utilitatem jam veteres nobis frequentiſſima dedere exempla, ut vaſtiores Eccleſiæ in plures novaſque parochias dividantur (*b*).

(*a*) Facta nempe Chriſtianorum ſacris libertate, erectis pluribus per *urbes rurique* templis, non tantum Epiſcopi ſua propria templa, quæ Eccleſiæ Cathedrales dicebantur, ſed & Presbyteri templa peculiaria cum officio in iiſdem curam & regimen determinati fidelium cætus gerendi, ſeu *parochialia* obtinebant; dicti dein etiam *ſacerdotes* proprii, cum populus parochum tamquam ſibi proprium paſtorem audire, & venerari deberet, & Presbyter alius abſque licentia functionibus Parochi ſe ingerere non auderet, uti mox pluribus patebit. Ipſas Parochias jam ſeculo tertio a Dionyſio Papa inſtitutas, & diviſas eſſe male probatur ex Cauſ. XIII. q. 1. can. 1. qui Canon ſcilicet ex Iſidori mercibus deſumtus eſt.

(*b*) Thomaſſin. P. 1. L. II. cap. 21. & 94. Diſſeruimus jam ſupra §. 125. de diviſione opulentorum beneficiorum ob animarum ſalutem facienda; & ſane non tantum diviſionem Epiſcopatuum in plures Epiſcopatus, ſed & generatim diviſiones quorumcunque beneficiorum abundantium in plures Eccleſias paſtoribus donandas intellexi. Quanta enim utilitas tum obtinetur, ſi latiſſimorum Epiſcopatuum in Epiſcopatus minores fiat ſectio, quo facto ſcilicet

Digitized by Google

dein quivis Epiſcopus facilius ſuam Eccleſiam viſitare, fidelibus confirmationis Sacramentum miniſtrare, iis eorumque paſtoribus invigilare, oves ſuas noſcere, ab iiſque tam ex verbis quam exemplis noſci, & univerſe ſuum officium ſuaſque obligationes explere poteſt. Talis tamen Epiſcopus nondum ſufficiens erit, omnibus, quæ ſalus animarum exigit perficiendis, & ſemper ipſi adhuc manebit dicendum illud Salvatoris: *Meſſis multa, operarii autem pauci*; ſi non etiam in ſua Diœceſi complures habeat parochos, quos in ſacræ ſuæ ſollicitudinis partem adhibere, & ſingulis fidelium cœtibus, qui magno ſæpe locorum intervallo inter ſe diſtant, præficere queat. Itaque dividere quidem Epiſcopatus in Epiſcopatus plures, ſed & Parochias dividere in Parochias plures, novaſque erigere erit neceſſarium. Id quod ulteriore quam ſupra §. 125. dedi, non opus eſt demonſtratione. Non objicias quæſo in veterum ſanctorum Pontificum actis legi, ab iis plures Epiſcopos quam Presbyteros ordinatos fuiſſe. Enimvero ſi illos memoras Epiſcopos, etiam quid egerint, memora. Illi ſane Epiſcopi obibant ipſi functiones eaſdem omnes, quæ hodie a Parochis peraguntur, & ita non moror, ut ſicuti olim in quavis fere civitate Epiſcopus cum Diacono, vel cum quodam Presbyterio fuerat, pro eorum, ad quos pertinet, judicio & arbitrio iterum in quavis ſaltem majoris momenti civitate Epiſcopus, qui ad evitandos novos & peculiares ſumtus pariter ſolum Presbyterium in cura animarum cum ipſo laborans *Cathedralis Capituli* loco habeat, ſimulque, uti ab Apoſtolis factum, *per ſingulas Eccleſias*; Act. XIV. 22. Presbyteri conſtituantur. Gaudebo potius, videns tot digniſſimis civitatum majorum parochis dignitatem Epiſcopalem obtigiſſe, quam etiam externe, multis Italis Græciſque Epiſcopis facilius, ſuſtinere poterunt; gaudebo, videns per ſingulas Eccleſias, quarum multæ nunc a *matre* ſua ejuſque paſtore longo intervallo ſejunctæ *filiæ* ſunt, conſtitutos digniſſimos Presbyteros parochiali officio pro ſua habilitate & fervore cum ſummo animarum commodo occupatos; gaudebo, videns tum modernos forte Epiſcopos in Archiepiſcopos, modernos Archiepiſcopos forte tum in Primates & Patriarchas evectos. Deum optimum! qualis decor Eccleſiis, quale emolumentum ſingulis fidelibus, qualia condigna præmia & novorum meritorum incitamenta viris digniſſimis, qualis opportunitas ad futurum forte Concilium tot Epiſcopos, quot ex Italia mittuntur, ex ſingulis Regnis atque provinciis mittendi! Et quam ſancta denique imitatio Salvatoris & Apoſtolorum, quorum una vehementiſſimaque cura, fuit cura animarum, cui omnia temporalia ſuamque vitam poſtpoſuere. Viden quam parum me premat facta objectio; fontes & jura ſummorum Principum ad procurandos hiſce neceſſarios ſumtus & reditus jam indigitavi §. 125. 126. 127. &c.

§. 228. Prodierunt quoque ſenſim ſine ſenſu ſaluberrimi Canones hanc Parochiarum utilitatem inculcantes, urgentes, prohibenteſque ea, quæ illam interciperent. Ita videlicet decretum, ut I. unuſquiſque, quantum fieri poteſt, Parochiæ ſuæ ad audiendum Verbum Dei interſit (*a*) II. tempore inſtructionis paſtoralis, nec miſſa in capellis nec alibi a quodam concio habeatur, (*b*) III. Mulieres poſt partum in propria Parochiali Eccleſia purificentur (*c*) IV. ibidem communio Paſchalis peragatur (*d*) V. ſaltem diebus ſolemnioribus, ſi fieri poteſt, quivis Miſſæ & divino officio in Eccleſia parochiali interſit (*e*) & univerſæ VI. nullus abſque ſpeciali ad id & legitime obtenta facultate in aliena Parochia ſacras functiones celebret, (*f*) aut Sacramenta adminiſtret (*g*).

(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 1. Seſſ. 24. de Reform. c. 1. 3. & 4.

(*b*) Eſt corollarium conſtitutionis Tridentinæ. Idem ſtatuitur in ſynodis Mechlin. Tit. 10. c. 5. Buſcoducenſi Tit. 11. c. 3. Antwerpienſi Tit. 11. c. 8. ubi & prætextus indulgentiarum, & confraternitatum removetur. Vide Van-

(*d*) Synodus P. II. Mechlinienſis Tit. 7. c. 5. Antwerpienſis Tit. 7. c. 3. Buſcoducenſis Tit. 7. c. 17. S. Carolus in Concilio ſuo Provinciali II. Tit. 1. Decreto 12. ſynodus Avenionenſis an. 1337. can. 4. Apud Van-Eſpen P. II. Sect. I. Tit. 3. c. 3.

(*e*) Synodus Pariſienſis an. 829. can. 47. con-

Digitized by Google

Namurcenſis an. 1639. Tit. 3. c. 27. apud Van-Eſpen P. II. Sect. I. Tit. V. cap. 8. & apud eundem in ſcholiis canon Trullanus 80. ſegregans eum a communione, qui tribus Dominicis a Parochiali officio abeſt.

(*f*) Synodus Namurcenſis an. 1639. Tit. 3. cap. 43. ſynod. P. II. Cameracenſis Tit. de Miniſter. Eccleſ. cap. 9. apud Van-Eſpen P. II. Sect. I. T. 5. cap. 11. ubi addit: *ſi nulli ad celebrandas fundatas miſſas, & anniverſaria admitterentur, niſi cum onere juvandi parochos in officio paſtorali, quam multi otioſi ſacerdotes ab Eccleſiis removerentur.*

(*g*) Conferatur Van-Eſpen *de baptiſmo* P. II. Sect. I. T. 3. c. 3. *de pœnitentia* T. 6. c. 6. ubi demonſtrat, uſque ad Sect. XIII. confeſſionem factam alieno ſacerdoti, & abſolutionem ab illo ſine licentia proprii ſacerdotis obtentam invalidam fuiſſe, & etiam poſt obtentam a mendicantibus confeſſiones excipiendi licentiam a ſynodis & Epiſcopis diu inculcatum fuiſſe obligationem ſaltem in anno ſemel proprio Parocho confitendi; de *Eucharistiæ diſtributione* Tit. 4. c. 1. ubi ad Clement. I. de Privileg. provocatur; *de extrema unctione* Tit. 8. c. 3. *de Matrimonio* Tit. 12. c. 5. & quodnam officium Parocho circa confirmationem proprium, Tit. 3. cap. 1.

§. 229. Quapropter reflectendo & ad divinam parochialis muneris inſtitutionem & ad canones, qui jurisdictionem cum hoc munere connexam firmant, omnino dicere debemus, Parochos, quantumvis Epiſcopis adjutricem præſtant operam, haudquaquam tamen eſſe mere Epiſcoporum *vicarios* & poteſtate tantum delegata atque ad arbitrium *revocabili* gaudere, ſed potius, uti ſupra inſinuavimus, (§. 224.) potiri eos jurisdictione *ordinaria*, & ſalva immediata in ipſos plebemque ſubditam Epiſcoporum auctoritate curam ſibi commiſſi gregis, ceu *veri nominis paſtores inferiores jure proprio* gerere (*a*).

(*a*) Etiam his verbis concepta eſt doctrina Facultatis Pariſienſis de anno 1654. in cenſura ſex propoſitionum Jacobi de Vernant apud Habertum loco citato. Hinc conſequitur, ut Epiſcopi Parochis ſuo officio ſatisfacientibus impedimenta ponere, operarios obtrudere, aut eos, niſi ſervato juris ordine hæc commeruiſſe probatum fuerit, amovere nequeant. Conf. Van-Eſpen Tract. de Recurſ. ad ſum. Princ. c. 2. §. 10. Reverendiſſ. Rautenſtrauch J. J. E. §. 608.

§. 230. Præcipue autem jurium & Obligationum parochialium Capita ad hæc reducuntur I. Habent jus omnia Sacramenta, quæ ordinem Epiſcopatus non requirunt, parochianis ſuis adminiſtrandi; & quidem, etſi regularibus poteſtas prædicandi verbum divinum, & adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ (*a*) conceſſum ſit, attamen Baptiſmi (*b*) viatici (*c*) & unctionis infirmorum (*d*) atque Sacramenti Matrimonii adminiſtratio (*e*) Parochis propria manſit.

(*a*) Adhuc hodie tamen in quibuſdam Diœceſibus urgetur præceptum ſaltem in anno ſemel proprio Parocho confitendi, ita tamen, ut ſynodi jubeant parochos ſe faciles præbere in danda licentia alteri confitendi, quæ ſecus ab Epiſcopis ſuppleri debeat. Sic quoque rigor circa communionem Paſchalem in Eccleſia parochiali peragendam remiſit; attamen ut communio Paſchalis peragatur, & quidem in Eccleſia parochiali, Parochus exhortandi jus habet. Porro gaudet jure reſpectu hujus vel illius pœnitentis, cui expedire arbitrabitur, tempus paſchale prorogandi c. 12. de Pœnit. & Remiſſ. verum notes velim, cum data aliis licentia confeſſionis excipiendi etiam hoc prorogandi jus eidem conveniat, tanto minus talem, qui ſe adprobato confeſſario confeſſum ejuſque Conſilia ſecutum eſſe oſtendit, propter omiſſam communionem paſchalem moleſtare poteſt. Van-Eſpen P. II. S. I. T. IV. c. 3. & T. VI. cap. 4.

(*b*) Hinc jus habent *fontis baptiſmalis*: Conf. Joſephus Vicecomes de rit. Baptiſ. L. 1. C. 8.

(*c*) Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 13. de Reform. Barboſa de officio Parochi, parte 2. c. 20. n. 8. Van-Eſpen P. II. S. I. T. IV. cap. 4.

(*d*) Clement. I. de Privileg. Catechiſmus Romanus Part. 2. de ſacr. extremæ unctionis §. 21.

(*e*) Videlicet habent jus, ut 1. in ipſorum præſentia contrahantur matrimonia. 2. iiſdem benedicant. 3. denuncient populo matrimonia contrahenda. 4. ſi juſta impedimenti ſuſpicio intercedat, celebrationem matrimonii ad tempus prohibendi, de quibus aliiſque in capite de Sacramento matrimonii plura dicemus.

§. 231. II. habent jus ad reliquas functiones ſacras cum ſuo ordine ſuoque officio connexas; veluti ſunt: denunciare populo dies feſtos, jejunia, indulgentias; benedicere

Digitized by Google

dicere cineres, fontem baptiſmalem, carnes, herbas &c. habere cœmeterium; defunctoſque ſepelire (*a*), adminiſtrare purificationis ritum mulieribus &c. atque obſiſtere poſſunt omnibus, qui diſtrictum parochiæ ſuæ violare, ibidemque ſacra adminiſtrare vellent (*b*).

(*a*) De iis ſepulturis ſuo loco dicemus.

(*b*) Limites Parochiæ, quando certo de iis conſtat, nec præſcriptione mutari queunt c. 18. de præſcription.

* Conf. Barboſa de offic. & poteſtat. Paroch P. wieſtner Jus Eccleſiaſt. Titul. de Parochis, art. 2.

§. 232. III. eaſdem functiones ſacras, ad quas peragendas vi ſui ordinis & officii jus habent Parochi, ipſi, quantum fieri poteſt, ut peragant, & per ſe præſtent, habent obligationem (*a*). Unde de hoc, quod etiam Parochi jure divino debeant reſidere, dubitari nequit (*b*).

(*a*) Synod. Trid. Seſſ. 5. cap. 4. *Non* obſtat regula juris 68. in 6. ubi dicitur: *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*: haud quaquam enim hæc regula tam univerſalis eſt, ut etiam ad ea negotia pertineat, in quibus perſonæ induſtria ſingulariter eſt electa. Cap. 43. de offic. jud. deleg. c. 12. eod. in 6.

(*b*) Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 1. de Reform. Revoca in mentem, quæ ſupra expoſui (§. 200.) Synodus Buſcoducenſis Tit. 17. c. 7. pariter clare ait; *ad aſſiduam apud oves ſuas reſidentiam ſe jure divino obligatos eſſe intelligant paſtores*. Et Fagnanus ad cap. *ex parte* de elericis non reſid. num. 21. refert, *nullum antiquorum contradixiſſe, quin paſtores animarum teneantur ſub præcepto divino ad perſonaliter reſidendum*. Van-Eſpen P. I. Tit. III. cap. 3. & ſequ.

§. 233. Et cumprimis IV. inſtructionem populi (*a*) per ſe obire Parochi tenentur, (*b*) quandoquidem etiam ordinarie inſtructio a Paſtore habita plus utilitatis, quam habita ab extraneo, ſecumferat (*c*).

(*a*) Synod. Trid. Seſſ. 5. cap. 2. Seſſ. 24. c. 4. de Reform. ubi inſtructio catechiſtica in ſingulis Parochiis diebus dominicis & feſtis non tantum cum parvulis, ſed & cum adultis inſtituenda præcipitur; & rectiſſime Synodus Namurcenſis 1639. Tit. 2. cap. 1. hortatur omnes verbi Dei præcones, ut conciones ſuas ita diſponant etiam diebus ſolemnioribus, ut potius Catechiſmum quam concionem redoleant, & captui populi, quantum fieri poteſt, accommodent. Conf. Van-Eſpen P. I. Tit. III. cap. 4. ſed & legi omnino meretur Jo. Andreas Serrai de optimis Catechiſtis, quod elegans opuſculum hoc 1777. anno Viennæ recudebatur.

(*b*) Synod. Trid. Seſſ. 23. cap. 1. & Seſſ. 24. cap. 4. de Refor. Et ita etiam Innocentius XI. declaravit Parochos Bruxellenſes per Archiepiſcopum Mechlinienſem cogendos, ut per ſe catechizent, tametſi annis 90. continuis per Patres Societatis id feciſſent. Van-Eſpen loco cit. cap. 6. ubi [illegible] commonſtratur, Clementi- datum requiri. Quod quidem ex iis, quæ ſupra de ordinaria Parochorum Juriſdictione diximus facile intelligitur. Ipſe S. Thomas ait: ordinem religioſum non inſtitui poſſe, ut ſibi proprium habeat prædicare, & confeſſiones excipere, cum hoc proprium ſit prælatis; ſed tantum inſtitui poſſe, ut ſibi proprium habeat hac in parte in ſubſidium venire, c. 2. qu. 188. art. 4. ad 2. videatur etiam de hoc argumento S. Bonaventura in Tract. *quare Fratres minores prædicent*, ubi tales prædicantes monet, *ut nec in temporalibus nec ſpiritualibus jus clericorum aliquatenus violent*. Hinc & Synodus Colonienſis ann. 1536. Part. 4. c. 8. ait: *cum in ſubſidium tantum vocati ſint, ordinariis Eccleſiarum Rectoribus moleſti eſſe deſinant, ita videlicet, ne eoſdem, cum ſuo munere ipſi fungi velint, præoccupent; neve, quos in excolenda vinea Domini juvare debent, in concionibus virulenta ac detractoria lingua carpant, uti nonnulli hujus* [illegible]

Digitized by Google

per non aliter quam in ſubſidium vocati maneant, contra Rectores Eccleſiæ nec titulo harum ſtationum nec præſcriptionis agere poſſe, quo minus illi ipſi concionentur, & ſuo officio ſatisfacientes declarent ſe porro ſubſidiariis non indigere; uti id in Eccleſiaſticis & civilibus conſtitutionibus, atque hæc omnia, quæ retuli, fuſius expoſita deprehenduntur apud Van-Eſpen l.c. cap. 7. & 8.

(*c*) Primo, ait Van-Eſpen, *cum paſtori id muneris a Deo & Eccleſia impoſitum, merito confidendum, ut Deus populo ſingulariter per ejus verba benedicat.*

Secundo, *dum populus videt Paſtorem per ſe prædicationi & inſtructioni incumbentem & laborantem, magis excitatur ad affectum, & amorem ſui paſtoris, quo fit, ut non ſolum diligentius & libentius, ſed & cum majori fructu illum audiat.*

Tertio, *cum Paſtor exactiorem ſuorum notitiam habeat, etiam melius novit, quæ vitia magis regnent, quæ virtutes minus frequententur, quæque conſequenter frequentius & utilius pro hoc populo ſunt dicenda: quibus affectibus & mediis ſint movendi & trahendi.*

Quarto, *cum Paſtor proventus & ſubſidia temporalia ſibi habeat aſſignata; neque a populi liberalitate & benevolentia illa debeat expectare, quemadmodum frequenter extranei & vices paſtorum ſupplentes illa tenentur ſperare, contingit, ut parochus etiam liberius majorique auctoritate vitia & defectus in populo carpere & corripere audeat: cum e contra hi a populo temporalia ſperantes non raro dicere cogantur ea, quibus favorem populi concilient; ea vero tacere, quæ populum offendunt*, loc. cit. cap. 5. Hinc etiam Parochus nullus tenetur pati miſſionarios, niſi ii publica Eccleſiaſtica & civili authoritate ſint muniti; & tunc etiam obligationem in conſcientia habet iiſdem ſedulo invigilandi, ne viam forte Religioni, Reipublicæ & illarum animarum ſaluti minus conducentem ineant, & ita Spirituales fructus, quos Parochus hactenus obtinuit a ſuis ovibus, earumque conſcientiæ, neſcio quibus inſolitis aut Religionis puritati & ſinceritati adverſis, cum Eccleſiæ & Reipublicæ detrimento turbentur. Quo perſpecto ulterior Parochorum obligatio erit hoc illico civilibus & Eccleſiaſticis ſuperioribus referre.

§. 234. Quod ſi tamen Parochus ſolus Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis & peragendo divino cultui non ſufficit, debet V. neceſſarios ſibi miniſtros adjungere (*a*), atque ut ſibi adjungat, ab Epiſcopo cogi poteſt (*b*).

(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 21. cap. 4. de Ref. Et generatim poteſt Parochus, ſi neceſſe eſt, ſuam poteſtatem delegare alteri ſacerdoti, modo idoneus, & ab Epiſcopo approbatus ſit. Reverendiſs. Rautenſtrauch l. cit. §. 613. Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis an. 1423. in ſuo Concilio Provinciali hoc promulgari juſſit ſtatutum, addita pœna Excommunicationis, *ne aliquis Rector aut perpetuus Vicarius parochialis Eccleſiæ, ſeu etiam capellæ ordinet, conſtituat, vel deputet aliquem Religioſum Mendicantem ad regendam vel gubernandam ſuam, vel ejus Vicarium ſeu capellam, aut alias vices ſuas committere, talibus præſumat, modo aliter idoneus commode haberi poterit, dolo & fraude ſecluſis.* Van-Eſpen P. I. Tit. 3. cap. 8.

(*b*) Cum ſynodus Tridentina velit Rectores Eccleſiarum per Epiſcopos cogendos eſſe, ut ſibi neceſſarios ſacerdotes *adjungant*, patet ſacerdotum electionem ad ipſos Rectores parochialium Eccleſiarum pertinere, niſi aliud probando legitimo titulo obtineat; patet porro mentem concilii eſſe, ut ſacerdotes in Parochia *reſidentes* Paſtoribus in munere parochiali ſint adjutores, adeoque non ſatisfieri concilio, ſi ii Parochi, quos concilium reſpicit, ad unum alterumve actum fratres mendicantes in adjutorium vocent. Van-Eſpen P. I. Tit. 3. cap. 2. Neque reſidentia in Parochiis cum inſtituto cœnobitarum convenit. Quapropter etiam adnectere debemus generalem hanc in ipſa vitæ cœnobiticæ natura fundatam regulam: cœnobitis tantum in colliſione & in caſu neceſſitatis, non vero extra eam parochias committi debere, quæ fundatur in can. 4. Concilii Chalced. S. Gregor. Lib. IV. Ep. 1. Sancti Auguſtini Epiſt. 48. ad Eudoxium, Lib. 19. de Civitate Dei cap. 19. Sancti Hieronymi de laud. vit. ſolit. Ep. 1. S. Thomæ de Villanova ſerm. 2. in Dom. 1. Quadr. quæ legi poſſunt apud Van-Eſpen P. I. T. 32. c. 1. & P. II. S. III. Tit. 1. c. 3. ubi 1. demonſtratur, ex can. 21. & 25. Cauſ. XVI. qu. 1. probari non poſſe, per antiquos Canones licuiſſe Monachis parochias habere, cum canones illi ſint Ambroſio & Bonifacio Papæ falſo adſcripti. 2. Eos, qui primis octo ſæculis leguntur ex monaſteriis ad Parochias accepti, ita acceptos fuiſſe, ut monachi eſſe deſinerent. 3. Etiam pro cauſa neceſſitatis, quo ad parochias accipi debent regulares, cautum eſſe, ut non ſinguli per villas & oppida ponantur, ſed ſemper plures aliquem regularem forment conventum, atque ita *in iis quæ Dei ſunt & regularis obſervantiæ, tam conſortio quam ſolatio perfruantur*; uti etiam id *de Canonicis Regul.* interrogatus Innoc. III. reſpondit c. *Quod Dei timorem*, de ſtatu Monac.

§. 235.

§. 235. Præcipuæ porro Parochorum obligationes ſunt VI. pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere (*a*) VII. pro ovibus ſuis ſacrificium offerre, (*b*) & ut ſingula taceam (*c*) generatim oves ſuas non tantum verbo, ſed & bonorum operum exemplo paſcere (*d*).

(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 1. de Reform. (§. 121.)

(*b*) Concil. Trid. l. c. & quidem contra frivolas concilii interpretationes Sac. Congregatio declaravit: parochos non modo ſacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum, quem *medium* vocant, pro ovibus ſuis applicare debere; ſaltem diebus feſtis. Conf. Fagnanus ad cap. Fraternitatem n. 93. de ſepult. Benedictus XIV. Inſt. Eccleſ. 10, num. 4. Bulla Benedicti XIV. *Cum ſemper*, & Reverendiſs. Rautenſtrauch l. c. §. 615.

(*c*) Veluti: ut Sacramenta ſancte adminiſtrandi cauſa ſancte vivat, ad eorum adminiſtrationem implorato auxilio divino ſe recte præparet, ad eadem adminiſtranda ſemper paratus ſit, etiam tempore peſtis, &c. plura enim exponere, quæ neceſſaria finis paſtoralis media ſunt, ad ſeparatam ſcientiam paſtoralem pertinet.

(*d*) Concil. Trid. loc. cit.

§. 236. A juribus ſtricte dictis Parochialibus diſtinguenda ſunt *jura ſtolæ*, ſeu honoraria & ſportulæ, quæ in uſus Eccleſiæ parochialis, vel in ſtipendium Parochi per leges a parochianis præſtari debent (*a*).

(*a*) De harum præſtationum juſtitia & jure eaſdem determinandi ſatis ſupra dicebam (§. 123. n. b.) ſed ſi *quid vitii*, ait Cl. de Riegger, *in illis reſidet, in eo hoc conſiſtit, ubi ſevere nimis, & amare, & intempeſtive exiguntur, maxime ſi alios reditus ſufficientes habeant, ſi nova accidentia introducantur, ſi introducta extendantur. Strictam enim interpretationem intuitu horum accidentium perſuaſiſſimum habeo*, P. III. §. 485. Neque de modo hiſce, ſi alicubi eſſent, vitiis occurrendi ſilebam (§. 126.) de portione funeraria, de decimis, aliiſque oblationibus in ſpecie, quæ ſcitu ſunt neceſſaria inter ea, quæ politiam Eccleſiaſticam attingunt referre non intermittam.

§. 237. Vel me tacente intelligeretur, etiam *in Parochis ſingulares requiri qualitates*, reticere tamen non poſſum leges, quibus id confirmatur, & præcipitur, ut I. *Parochi die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito coram generali ejus Vicario ſeu officiali orthodoxæ ſuæ fidei publicam profeſſionem faciant* (*a*) II. intra annum ſacerdotio inaugurentur. (*b*) III. Non admittantur niſi ab Epiſcopo examinati, & approbati (*c*) IV. præferatur dignior, & ideo concurſus inſtituatur (*d*).

(*a*) Concil. Trident. Seſſ. XI. c. 12. de Reform. Cum concilium dicat, ut, *ſi a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes publicam fidei profeſſionem facere negligant, fructus non faciant ſuos, nec illis ſuffragetur poſſeſſio*, hæc ſequuntur Corollaria 1. Ejuſmodi ultro debere ad faciendam fidei profeſſionem ſeſe offerre, quia tempus ipſum a jure definitum interpellat. 2. Quandoquidem concilium non vult, ut faciant fructus ſuos, niſi ſub conditione editæ intra duos menſes profeſſionis fidei, hac conditione non impleta abſque 35. eod. in 6. Trid. Seſſ. 23. cap. 12. & 24. cap. 12. de Reform.

(*c*) Cap. 3. de Inſtit. Trid. Seſſ. 7. cap. 13. de Reform. videlicet, etſi non prorſus eminens in quovis doctrina requiratur, & ſcholaſticorum etiam ſubtilitatibus facile quivis carere queat, attamen dogmatum, rituum, paſtoralium obligationum, ſacrorum canonum, & purioris doctrinæ moralis ſcientiam quilibet curæ animarum candidatus debet ſolide edoctus eſſe; citra hanc ſane doctrinam nunquam merito *bonus* Parochus [illegible] poſſet, cum *bonum* ſit

§. 238. Sed & pro coronide monendum I. cum hodie a foro interno forum externe ſeſe exerens ſeparatum, & etiam contentioſum in Eccleſiam introductum ſit, uti pluribus de hoc argumento occaſione poteſtatis exequendi dicemus (*a*) omnem parochorum juriſdictionem foro interno contineri, & ipſos igitur non poſſe, pœnas externas & cenſuras infligere, eaſdem pro foro exerno tollere, lites decidere, legibus Eccleſiaſticis quemquam ſolvere, impedimentis matrimonii, aut in votis gratiam legis facere, ſi non hoc illudve ipſis ſpeciatim concedatur; (*b*) II. cum certis tantum diſtrictibus præficiantur, in aliena parochia & intuitu alienorum parochianorum muniis parochialibus fungi, ſine parochi ordinarii conſenſu vel ſuperioris conceſſione eis haudquaquam licere, & III. cum ſub Regimine Epiſcoporum præpoſiti ſint, nec poſſe eos in ſacro Tribunali a caſibus Epiſcopo Diœceſano reſervatis ſine illius licentia abſolvere (*c*).

(*a*) Exercuere quidem aliquando contentioſam quoque Juriſdictionem parochi, uti patet ex cap. 3. de off. jud. ord. c. 11. de Maj. & Ob. S. Thomæ ſupplem. qu. 22. art. 1. & veroſimilius eadem oportunitate, qua Archidiaconi & Decani rurales ordinariam Juriſdictionem ſibi arrogarunt (§. 209. & ſeq.) verum veluti iſti ita & ipſi omnem externam Juriſdictionem creatis Vicariis generalibus & officialibus cedere debebant. Reverend. Rautenſtrauch l. c. §. 617.

(*b*) Hic in parte etiam uſus & conſuetudines Diœceſium conſuli debent.

(*c*) C. 2. 3. de Paroch. c. 12. de Pœnit. can. 1. cauſ. XIII. quæſt. 1. can. 6. diſtinct 71.

FINIS TOMI TERTII.

VA1 1530776

Digitized by Google